DE CONFESSIONIS AVRICVLARIS VANITATE, ADVERSVS CARDINALIS BELLARMINI *Sophismata,*

ET DE *SIGILLI CONFESSIONIS IMPIETATE, contra Scholasticorum, & Neotericorum quorundam dogmata Disputatio.*

AVTHORE
IOANNE DENISONO Oxonienſi
Sacræ Theologiæ Doctore.

LACTANT. Lib. 6. Cap. 10.
Dum ſanare vitia volunt auxerunt.

OXONII,
Excudebant IOHANNES LICHFIELD,
& IACOBVS SHORT. 1621.

10/6

SERENISSIMO, POTENTISSIMOQVE

Principi, ac Domino nostro IACOBO
Dei gratia Magnæ BRITANNIÆ,
FRANCIÆ, & HIBERNIÆ
Regi, Fidei Defensori, &c.

* * * *
* * *

Serenissime, Potentissimeq; REX,

ETSI pontificijs multæ sint tendiculæ; etsi multa eorum dogmata versuta sint: Nullum tamen excogitare potuerunt, quo magis populo simplici imponerent, quàm vanum illud de Confessionis auricularis, & absolutionis Sacerdotalis necessitate. Quotus enim quisq; est (cujus animus tali opinione imbuitur) qui aut noxas suas pandere, aut fortunas affatim impendere dubitauerit? Nullum præterea dogma magis pernicioſum, nullum Regibus & Rebuspublicis magis periculosum,

quàm portentosum illud de Confessionis sigillo? Hujus enim ob conservationem jura humana, & diuina violantur. *Neq; etiam Rex, nec Respublica in securo potest consistere, vbicunq; theses illa assertores inuenerit,* vt *Maiestas tua* verè obseruauit.

a *Præfatione monitoria.*

Quarum rerum cogitatio me vehementer excitavit, vt tum ipsam Confessionem, tum Confessionis sigillum scripturæ sacræ, & venerandæ antiquitatis trutinâ examinarem.

Quod negotium primò non concertationis studio obivi, vt in controversijs versarer, vel adversarium agitarem: Sed vt, veritatem indagando, & è tenebris eruendo, mihi ipsi satisfacerem; Et feci sanè satis. Nam indagatione non indiligenti, Confessionem clancularium comperi: tum merè humanum, Confessionis sigillum plus quàm inhumanum comperi. Et cordati omnes facilè videant, *Sigillum* confessionis, á pontificijs (Iesuitis præcipuè) in *Clavem* mutari. Vnde illis opportunitas arcana quorundam iusta (ad ecclesiæ Romanæ commodum) referandi, & nefaria aliorum scelera (ad Regum & Rerumpublicarum detrimentum) obserandi.

Hac præterea disquisitione animadverti, Confessi-

Confessionis & sigilli defensionem concertationes plurimas, contradictiones ferè infinitas, de vnitate, & consensu gloriantibus, peperisse. De quibus illud dici potest, quod Lactantius de Philosophis, *Tanquam Sparti illi poetarum se invicem mordent.* Cardinalis verò Bellarmini argumenta in prima controuersia, penitus introspiciens inveni. Virum in causam pontificiam ita incumbentem, vt omnibus eam nervis, quo jure, quaq; injuria, defendere studuerit: Tamq; perfrictæ frontis, vt illum testimonia suppositicia, non solùm suis, sed sibi etiam repudiata, tanquam honesta, & ponderosa producere non puduerit. Causam valdè deploratam prodit, qui tabulis, & testimonijs adulterinis niti cogitur.

Lactan. instit. lib. 3. cap. 4.

Quod *tantæ maiestati* hasce meas lucubrationes dicaverim, temeritatis forsitan & audaciæ arguar. Sed vt aperte, & ingenuè dicam; Sicut *clara Veritas*, quoad vtramque controversiam, scriptis tuis concisis & concinnis elucens, non levem mihi ansam ad scribendum præbuit: Ita *Regia serenitas*, quæ semper bonarum literarum studiosis, tanquam sydus benignum, affulsit, audaciam dedicationis addidit. Nec omnino

Medit. in Orat. Domin.

ſacram illam maieſtatem, quæ graviora crimina condonare ſolet, audaciæ huic meæ benignè indulſuram.

In prodicione pulveraria.

Deus Optimus, Maximus, qui *Sigillum iniquitatis* ad *ſacræ Maieſtatis tuæ*, & Chriſtiani orbis incolumitatem, mirificè olim ſoluit; *Sigillo diuinæ pietatis*, contra omnia iniquiſſimorum molimina, te obſignet; Vt quam diutiſſime in terris Rex εὐεργετικὸς viuas; Et tandem in æternum εὐεργέτης evadas; & ſic [a] *Regnum non deponas ſed mutes.* Amen.

[a] *Vt Ambroſ. de Theodoſio loquitur. De Obitu Theodoſij.*

Sereniſſimæ Maieſtati tuæ a ſacris, ſubditus, ſervuſque humillimus, ac devotiſſimus,

IO. DENISON.

Ad Lectorem.

HAbes hìc (Christiane lector) controversias magni (meo iudicio) ponderis; Nempe de Confessione Auriculari, & Confessionis Sigillo. Cuius impietas, in horrida, & execranda illa proditione pulveraria, non ita pridem erumpens, recenti omnium memoria tenetur. Nam ex confessionis occasione, proditores illi flagitiosissimi in scelere suo detestabili obfirmabantur, extimulabantur. Sacerdotes etiam, Sigilli obtentu, exitiosa conjuratorum molimina occultarunt, quò tutius ea, & certius, ad Reipublicæ eversionem prorumperent. Quis æquo animo ferat, vt potestas peccata remittendi absoluta misello sacerdoti tribuatur? Quis eorum impietatem non demiratur, qui atrocissima scelera meditantes, & molientes, absolvere non vereantur? & eorum conjurationes celant, quæ jure potius palam fierent, vt plecterentur.

Postquam in hoc studio aliquandiu versatus fueram, & veritas mihi comperta videbatur; eandem cum alijs communicare constitui, ne talentum meum (qualecunque) abscondendo, in reprehensionem divinam incurrerem.

Omnibus pontificijs, quos legeram, respondere, animum meũ induxerã. At in operis aditu, plurima eorum argumenta tam frigida, tamq; enervata perspexi, vt responsione prorsus indigna viderentur. Idcirco con-

trover-

troversiarum antistitem mihi adoriendum proposui; Qui & ipse olim viribus valens, & à suis non partim adiutus, quicquid, proculdubio, causæ pontificiæ suffragari videretur, in medium protulit.

Illi respondendo sinistra potius vsus sum, quàm dextra. Quippe quòd negativum probare non tam meâ interfuerit. Ita tamen vt Caluini, & Chemnitij argumenta à calumnijs adversarij vindicando, & argutias eius diluendo, dextram non rarò porrexerim.

Argumenta, rationes, & responsiones Cardinalis aliquantò fusius, atque suis verbis descripsi, & caput capiti opposui: Tum vt Lectorem molestia expedirem, tum etiam vt ora adversatiorum (qui de prætermissis queritare solent) opprimerem.

Confessionem quandam religiosam, valde vtilem esse, & pijs cunctis amplectendã, semper existimaui, asseruiui. Larvata verò confessionum genera, quæ pontificij excogitarunt, iure optimo exterminanda, Sigillum quoque, quod illi procuderunt, execrandum asserui.

a Vt capite primo &c.

Adversarium expecto, vel Coquæum, vel Capellum, rabulam scilicet, vel vappam, aut velitarem aliquem alium, qui, tanquam Nili canis discurrens, crepidam aut fimbriam hanc vel illam vellicabit. Quòd si, vt solet, contingat, cum talibus confligendo, tempus pretiosum non absumere constitui.

Elenchus Capitum vtriusq; controuersiæ De Confessione auriculari.

Caput. 1.

POntificiorum contradictiones, & status quæstionis tractantur.

2 Primum Bellarmini argumentum, quo, ex Evangelio, probare contendit, sacerdotes in confessionibus audiendis iudices constitutos esse, ventilatur.

3 Vmbratile Cardinalis argumentum à typis, quibus confessionem auricularem adumbratã asserit, refellitur.

4 Quatuor scriptura loca, ad confessionem stabilendam, frustra adducuntur, nempe { Act. 19. 18. / 2. Cor. 5. 18. 20. / Iacob. 5. 16. / 1. Ioh. 1. 9. }

5 Conciliorum testimonia nec diuinam confessionis authoritatem, nec eiusdem antiquitatem ostendunt.

6 Patres Confessioni auriculari non suffragantur. Et primò testimonia patrum, qui ab anno Domini 100, ad 200 floruerunt, examinantur.

7 Testimonia patrum ab anno 200 ad 300.

8 Testimonia patrum ab anno 300, ad 400.

9 Testimonia patrum ab anno 400, ad 500.

10 Testimonia reliquorum patrum ab anno 500 ad annum 1200.

11 Chemnitij solutiones, ad loca patrum, defenduntur.

12 Cardinalis argumenta, è rationibus quibusdam petita, disentiuntur.

13 Lex nulla, de Confessione auriculari, ante Innocentij 3 tempora statuta est.

14 Confessionem auricularem iuris diuini non esse, ex eiusdem

dem, per Nectarium, abrogatione ostenditur.

15 Ex Chrysostomo constat, eandem à Nectario abrogatam esse.

16 Confessio auricularis est impossibilis: ergo nec à Deo instituta fuit, nec ab Ecclesia instituì potest.

17 Eadem nunc est ratio peccata remittendi, quæ olim fuit, hoc est sine confessione auriculari.

18 Ministri Christi eodem modo peccata remittunt, quo & ipse Christus, quoad munus eius pastorale.

19 Confessio publica, Decij tempore, partim abrogata, & in privatam mutata fuit.

20 Chemnitij argumenta ex Cassiano, & Origene: Bentij & Augustino, & Ambrosio defenduntur.

21 Confessionem auricularem abrogandi causæ satis iustæ à Chemnitio adducuntur.

De Sigillo Confessionis.

Caput. 1.

IN quo ostenditur, quàm vehementer constitutio hæc humana à pontificijs vrgetur.

2 Argumenta pontificiorum pro Sigillo discutiuntur.

3 Misera pontificiorum subterfugia, ad sigillum Confessionis conseruandum.

4 Casus quidam, in quibus sacerdoti ea revelare licet, quæ in confessione audiuit.

5 Vis, & ius Sigilli, de peccatis committendis, tractantur.

6 Sigillum confessionis nec diuinitus institutum, nec antiquis cognitum, nec à pontificijs inviolatè conseruatum fuit.

CAPVT. I.

Pontificiorum de Confessione auriculari contradictiones, & status quæstionis tractantur.

QVoniam Bellarminus, in fronte disputationis, (quod ab illo ferè fieri solet) * errores, (vt appellat) circa Confessionis necessitatem in medium profert: à ratione non abhorrens esse sentio, si responsionis loco, vna cum statu quæstionis contradictiones quasdam pontificiorum proponam. Hę etenim de origine, forma, fine Confessionis valdè sunt mirabiles. *Quidam dicunt Confessionem institutam esse in Paradiso, statim post peccatũ Adami. Alij sub lege, cum peccasset Achan. Alij à Christo, quando insufflavit Apostolis. Alij à Sancto Iacobo dicente, confitemini alterutrum peccata vestra.* Hæc omnia habet *Glossator*, quibus ita suam pro corollario sententiam annectit: *Sed melius dicitur, à quadam vniversali traditione institutam esse.*

Institutа fuit Confessio Iohannis vicesimo, ait Baronius. *Non institutа fuit*, inquit Alexander Halensis. *Insinuata est potius*, ait Ruardus Tapperus. *Roborata tantùm est*, ait Thomas Waldensis. Verè igitur dixit Franciscus Victor. *De tempore institutionis inter doctores non convenit. Ex parte sacerdotis, Confessio est de iure divino, ex parte confitentis nullum præceptum invenio*, ait Zuarez. Imò, *verbum illud vt salvemini, Iacobi quinto, vrget necessitatem ex parte pœnitentis*, dicit *Vega*.

Ante incarnationem Christi sufficiebat Confessio mentalis, ait Polydorus

* *Caput enim primum ita inscribitur; De erroribus circa Confessionis necessitatem.*

Gloss. de pœnit. distinct. 5. Baron. Tom. 1. ann. 56. Al. Hal. part. 4. qua. 76. m. 3. ar. 2. Ru. Tap. Artic. Lovan. 5. Tho. Wald. de sacr. cap. 139. Zuar. in 3 ho. to. 4. disp. 21. § 2. n. 3. A Vega de Iustif. li. 13. ca. 28. P. Virgil. de Inv. lib. 8. cap. 1.

Bellar. de Pœnit lib 3. cap. 3. Polydorus Virgilius. *Ante incarnationem Christi exigebatur vocalis*, dicit Bellarminus. *Confessio Leuitica erat generalis tantùm*, ait Gulielmus Vorillon. *Confessio Leuitica erat particularis*, dicit Bellarminus. *In veteri lege non confitebantur homini*, ait Hugo Cardinalis. *In veteri lege confitebantur alicui Leuitæ*, inquit Bellarminus. *Confessio Iohanni Baptistæ facta, fuit generalis*, inquit Toſtatus. *Confessio Iohanni Baptistæ facta, fuit particularis*, ait Ianſenius. *Quis vnquam Catholicorum tam fuit indoctus, vt ex Matthæi tertio Confessionis probaret ſacramentum*, ait Ioan. Maldonatus? Et tamen Hanibal Roſſelus directè, & alij pontificij figuratiuè probare conantur. *Confessio Aliorum 19. fuit ſacramentalis*, ait Cardinalis Bellarminus. *Confessio Aliorum 19. non fuit ſacramentalis*, inquit Hugo Cardinalis. *Omnia peccata venialia non ſunt neceſſariò confitenda*, ait Concil. Tridentinum. *Multi ſcholaſtici dixerunt venialia omnia neceſſariò eſſe confitenda*, inquit Iohannes Maldonatus. *Confeſſio debet fieri ſolis ſacerdoti*, ait Iohannes Caſparus. Imo *propter neceſſitatem fieri poteſt laico*, inquit Antoninus. *Retinere peccata denotat aliquid priuatiuum tantùm*, ait Bellarminus. *Retinere aliquid poſitiuum deſignat*, ait Alphon: Salmeron. *Confeſſio ex ſua natura eſt ſecreta*, ait Caietanus. *Non eſt de ſubſtantia huius ſacramenti, vt ſecretò fiat*, dicit Zuarez. *Confeſſio poteſt fieri in ſcriptis*, ait Paludanus.

Guillon in ſent. lib. 4. diſt. 17. q. 2. concl. 1. Bellar. de Pœnit lib. 3. cap. 3. Hugo Card. in Iac. 5. Bellar. ſupra. Toſtat. in Mat. 3 Ianſen Concord. cap. 13. Maldon. in Mat. 3. H. Roſſel. de ſacram. lib. 9. diſt. 9. ca. 7. Mich. de Palat. in ſen. lib. 4. diſt. 17. diſp. 5. Conrad. Cling. Loc. Com. ca. 34. Bellar de Pœnit. lib. 3. cap. 4. Hug. Card. ſuper Act. 19. Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. Maldonat. in ſum. queſt. 18. ar. 4. I. Caſpa. Loc. com. & alij. Anton. par. 3. tit. 14. c. 19 § 3. Bellar. de Rom. pont. li. 1. ca. 12. Salmeron Tom. 11 tract. 19.

Confeſſio in ſcriptis non eſt valida, dicit Soto. *Confeſſionis celatio eſt de eſſentia Sacramenti*, ait Sylueſter. *Non eſt de eſſentiâ ſacramenti*, dicit Soto. *Confeſſio facta à pluribus, aut publicè non eſt licita*, ait Angelus. *Eſt licita, ſed non ſacramentalis*, dicit Scotus. *Eſt licita & ſacramentalis*, inquit Iohannes Medina.

Ecce quomodo diuiſa eſt lingua pontificiorum dum turrim ſuam Babilonicam ædificare conantur. Vtq; (Deo conatus eorum nefarios juſtè tamè plectente) *Concurrunt Aegyptij contra Aegyptios, & Madianitarum gladij poſiti ſunt in Madianitas.* Quæ cum ita ſint, deſinant pontificij vlterius de rapinis ſuis prote-

Caietan in ſum. verb. Confeſſ. Zuar. Tom. 4 diſput. 33. § 1. Palud. in ſent. 4. diſt. 17. queſt. 2. ar. 1. Soto in ſent. 4. diſt. 18. queſt. 2 art. 6. Sylueſt. ſum. de Confeſſ. Do. Soto in ſent. lib. 4. diſt. 18. queſt. 4. ar. 5. Angel. verb. Confeſ. 1. § 29. Scot. ſent. lib. 4. diſt. 17. Medin. trac. de Pœnitæ. queſt. 16. Gen. 11. 9. Iſai. 19. 2. Iud. 7. 22.

ſtantibus

stantibus objicere, & de summa suorum confessione tantopere gloriari. Nam si in una controversia, tot tantæq; , imo multò plures contradictiones inveniantur, quid de totis papistici mastis judicandum est? Si soli protestantes negarent, Confessionem illam clancularium esse de jure Divino, gravioris forsitan piaculi videretur: Sed non desunt etiam inter omnes pontificiorum ordines, (præter eos, quos recensuit Bellarminus) qui huic nostræ negationi suffragantur. Adeo ut de nostris contra adversarios fere dici possit, quod Suetonius de Iulio Cæsare, *contra duos potentissimos competitores Pontificatum maximum petente; Plura ipse in eorum tribubus suffragia, quàm uterq; in omnibus tulerit.* Nam inter Cardinales Caietanus, inter Episcopos Peresius, & Theodulphus, inter Abbates Lizetius, & Panormitanus, inter scholasticos Bonaventura, & Scotus, inter recentiores Beatus Rhenanus, & Erasmus Roterodamus, Inter Monachos Gratianus & omnes decretorum interpretes disertis verbis hoc dogma Pontificium contraveniunt.

Suetan in Iul. Cæsar. cap 13. Caiet in Thom. part. 3 q. 8. a. 4 Peres. de traditi. par. 3. consid. 3. Thomd. epist. ad sacerdot. Antrel. §. 30. Panor. de Pœnitent & Remiss. Bonavent. sent. 4 dist. 17. q. 1 ar. 1. Scot. sent. 4. dist. 17 q. 1. B. Rhen. annot. in Tertul. de Pœnit. Eras. Annot in Hier. de obitu Fabiolæ. Gratian. de pœnit. dist. 1 c. 3. cap. 89. Augus. in psal. 94. Chrysost in psa. 9. Psal. 51. Aug. Confes. lib. 10. cap. 2.

Sed, ut veritatem melius elicere, & vanitatem, suis locis, planiùs evincere possimus, Confessio, (quia vox æquivoca,) omnino distinguenda est. Varia sunt Confessionum genera, quæ & sacris literis & sanctorum patrum testimonijs comprobantur. *Est Confessio Laudantis, & Confessio gementis*, vt distinguit Augustinus. *Alia est peccatorum condemnatio, alia gratiarum actio*, ut loquitur Chrysostomus. Confessio gementis, respectu objecti, in Divinam & humanam dividatur; Deo enim confitendum est atq; hominibus. Deo confitendum est, cœtu aliquãdo solemniori, quod historijs sacris, ab Israelitis abundè factitatũ legimus. Aliquando verò privatim, vt olim fecit Dauid. Et de qua Confessione ita loquitur Augustinus, *Confessio mea, Deus meus, in conspectu tuo tacitè sit, & non tacitè: tacet enim strepitu, clamat affectu.* Ex hac Confessione, Deo gloria, nobis consolatio magna exoriri solet. Dum per Contritionem eradicatæ sunt prinæ peccatorum, & per Confessionem in septimenta mutatæ, foris prolatæ fortiter munuut, quæ intus latentes acriter pungebant. Confessio humana est triplex; *Rei ostitutionis, satisfactionis, & reconciliationis*, cum iniurias alijs inferentes, vel nos apud alios in offensa esse cognoscentes, liberè

& pacificè errata confitemur, *vt vnitas spiritus in vinculo pacis* conservari possit. Hanc Confessionem Iacobus suadet, Chri-
Iac. 5.16. Mat. 5.24. stus etiam imperat. *Confessio satisfactionis* est, cum illi, qui of-
Aug. Euchirid. cap. 65. fensiones graviores Ecclesiæ Christi attulerint, sese facti palam pœnitere profitentur; vt olim in Ecclesia Alexandrina Impera-
Euseb. hist. Eccl. Ambros. de obit. Theodos. torem Philippum fecisse Eusebius narrat, in Mediolanensi The-
odosium, Ambrosius refert. *Confessio consolationis* est, cum illi,
qui ex peccatis suis acerbiorem dolorem hauserint, tranquilitati,
Isai. 50.5. & quieti Conscientiæ consulentes, Virum *erudita lingua, & verbum tempestivè eloqui scientem* perquirunt, qui eos consolando
Pacia. paren. ad pœniten. aut consilio juvet. De qua Confessione rectè Pacianus: *Defi-
nite vulneratam tegere conscientiam.* Optimè Augustinus: *Quot habes in corde Compunctiones facinorum, tot habes illic punctiones confessionum.* Ecce quales Confessiones scriptura sacra, & casta
Christi sponsa probant. Eas nimirum, quæ Deo gloriam, fra-
tribus pacem, Ecclesiæ pietatem, pœnitenti consolationem præ-
bent. Non Tridentinam illam *accuratam, coactam, promiscu-*
Acost. de Iud. salut. &c. lib. 6. cap. 16. *am, annuam; qua confitentes plures* (vt Theologus ille apud A-
costam fatetur) *deteriores reddit.* Illam, illam dico, nec jure Di-
vino fundatam, nec ad salutem necessariam esse contendimus.

CAP. 2.

Primum Bellarmini argumentum, quo ex Euangelio & patribus probare contendit, sacerdotes, in confessionibus audiendis, iudices constitutos esse ventilatur.

Bellarmin. de verbo Dei lib. 4. cap. 4. MIra est Bellarmini vel imprudentia, dicam, vel impietas. Qui scripturas sacras, quarum Deus indubitatus author, & mirificus semper conservator, inter funestissimos Ecclesiæ hostes, exitii, necessarias esse, multis argumentis negaverit: Et etiam paribus, vel pluribus, sacramentalem suam Confessionem, dubiam, vel potius sine dubio vanam, & inep-
tam, adeo necessariã esse contenderit: vt sine huius beneficio, nemi-
ni, post Baptismũ delinquenti, in cœlum aditum patere voluerit. Sed ostendat Bellar. quare sacræ literæ non sunt necessariæ.

Quia

Quia (inquit) nulla fuit divina Scriptura ante Moysen; quod fieri nec debuit, nec potuit salua Dei sponsa, si Scriptura necessaria foret. Nonne mihi liceat, Bellarmine, ijsdem verbis te, de tua ratione, affari, quibus ille Navium, de suo testimonio affatur? *Opinor tua ratio, qua in alienare lemis esset, eadem, quia contra te est, grauissima debet esse.* Nam Confessio Sacramentalis vel ipso te fatente, non ad Moysis solùm, sed ad Christi vsq; tempora Ecclesiæ Dei defuit; quod fieri nec debuit, nec potuit salua Dei sponsa, si Confessio eadem necessaria foret. Sed agedum; quomodo probas esse necessariam? *Qui mortali (inquis) peccato se obstrinxerunt tenentur iure diuino reconciliationem cum Deo quærere: Sed medium necessarium ad reconciliationem, post Baptismum, est confessio peccatorum omnium sacerdoti facta: Ergo tenentur iure diuino, qui mortali peccato se obstrinxerunt post Baptismum, sacerdoti peccata omnia confiteri.* Verum est, Bellarmine, propositionem (vt ais) veram esse, & satis per se probatam. Et si pari veritate, aut saltem probabilitate assumptio tua niteretur, nihil amplius postularem ad Confessionem tuam stabiliendam. Ea autem tam vana est, & ab omni ratione aliena; non solùm vera & diuina media reconciliationis irrita faciens, sed etiam vana, & futilia tua figmenta stabiliens; vt mirum sit te non puduisse, eandem in lucem & aspectum hominum proferre. Hinc enim cordis contritio, hinc oris ad Deum confessio, hinc lachrymæ, oratores apud Deum elegantes protenus abijciuntur; contra Scripturas, Patres, & omnes fere pontificios. Contra scripturas. Nam *sacrificia Dei sunt spiritus frattus. Sacrificia* ait non sacrificium. Tantum enim ponderis, apud Deum, habet vera cordis contritio, vt eadem sit instar omnium sacrificiorum. Hoc expertus est Dauid, vt qui vix *peccaui* dixit, quin *transtulit Iehoua peccatum tuum.* audiverit. Experti sunt Ninevitæ; quos vt mali culpæ pœnituisset, Deum mali pœnæ pœnituisse dicitur.

Cicero pro Pub. Quintio.

1. Pſal. 51. 19. 2. Sam. 12. Ioh 3. 10.

2 Contra patres. Nam de Davide contrito scribit eleganter S. Augustinus. *Deus* (inquit) *audivit vocem cordis mei. Vox mea nondum in aure Dei erat: sed auris Dei iam in corde meo erat.* Recte S. Chrysostomus: *Qui Deo soli confitetur, facile peccata sua emundabit.* Optimè ostendit S. Basilius, *Confessionem Deo factam satis esse ad peccatorum remissionem. Patrum scelus fuisse lachry-*

Aug. in pſal. 31. Chryſ. in Gen. hom. 10. Baſil. in pſal. 37. hom. 1.

Athanaſ. de Virg. *mis delevit*, inquit Athanaſius. *Sola contritione peccata remittuntur*, dicit Caſſiodorus.

Caſſiod. in pſ. 31.

Gloſ. de pœn. diſt. 1. 3 Contra ipſos Pontificios. Nam *Confeſſio, qua Deo fit, purgat peccata*, ait Gloſſator. *In contritione peccata communiter remittuntur*, inquit Ioannes de Combis. *In quacunq; hora peccator ingemuerit vivet. Non dicit ſi confeſſus fuerit, ſed ſi converſus ingemuerit*, dicit Petrus Lombardus. *Sola contritio tollit peccatum*, ait Gratianus. *Contritio mundus eſt iudicij Dei, membrum eſt formatum eccleſiæ militantis*, dicit Caietanus. Hoc etiam ſuo confirmat argumento Michael Ayguanus. *Deus* (inquit) *promtior eſt ad miſerendum, quàm ad animadvertendum: ſed ſolo actu cordis ſubtrahit gratiam. Idcirco multò fortiùs ſolo actu cordis deteſtantis dimittit peccatum.* Imo Bellarminus contra Bellarminum fatetur: *Scriptura paſſim docet, eos qui toto corde ad Deum convertuntur, ſine mora veniam accipere.* Ille tamen, quaſi ſpiritum calidum & frigidum ſimul exhalare didiciſſet, & moram, & medium confeſſionis ſtatim vehementèr vrget. Dicat fortaſſe Bellarminus. Etſi peccata per Contritionem ſolam remittantur: officium tamen pœnitentis eſt peccata ſua ſacerdoti confiteri. At quorſum quæſo? Recognoſcat mecum Cardinalis quid alio in loco ſcripſit: *Ineptum eſt dicere primò poni effectum, deinde cauſam. Sicut abſurdum, qui vulneratus fuerit, quærere medicinam.* Et videat Bellarminus, an hæc ſit ineptia ſua, qui poſt condonationem ad confeſſionem recurrit. Hæc cum ita ſint, cum Ianſenio concludam: *Abſolutè falſum eſt, peccatores nunquam poſſe à Sacerdotibus obtinere peccatorum remiſſionem, niſi ſua illis revelent peccata, per ſingularium peccatorum enumerationem.* Quocirca, ſi Bellarminus vel ſcripturis ſacris ſuccumberet, vel patribus auſcultaret, vel ſuis conueniret, vel ſibi ipſi conſtaret, confeſſionem Deo factam, lachrymas & internam pœnitentiam ſatis eſſe ad remiſſionem peccatorum fateri cogeretur. Et proinde confeſſionem ſacerdoti factam, non eſſe medium adeo neceſſarium ad homines Deo poſt Baptiſmum reconciliandos.

Bellar. de pœn. lib. 2. cap. 13

Bellar. de ſacra. pœn. lib. 2. ca. 3

Ianſen. Concor. Cap. 147.

Illud certè non eſt leuiter prætereundum, Beatum Paulum, cùm Titum, & Timotheum maximis miniſterij ſui dotibus locupletare ſtuderet, confeſſionem omnino tacuiſſe. Et cum præmia miniſtris debita vrgeret, ſolum Euangelium prædicandi, nullam con-

In epiſt. ad Titum & Timoth.

2. Cor. 9. 14.

confessiones audiendi, mentionem feciſſe. Maxima etiam mihi admiratione dignum videtur, Apoſtolos conſcientia ſcelerum ſuorum oppreſſis, eorumq; auxilium & conſilium ita implorantibus: *Viri & fratres, quid nobis faciendum eſt, vt ſalui ſimus?* Baptiſmum, fidem, reſipiſcentiam ſemper prædicaſſe, confeſſionem autem nunquam. Num credibile eſſe poteſt, quòd Apoſtoli medium tam neceſſarium obliuioni traderent? Aut quomodo tandem factum eſt, vt nullum hujus medij reconciliationis veſtigium, per confeſſionem ſacerdoti faciendam, in ſacris literis extaret. Nam quod Lyndanus de Simone Mago, & inceſtuoſo affert à propoſito longè alienum, miſeram cauſæ ſuæ conditionem prodit. Quæ etiam ex Euangeliſtis, & Apoſtolis poſtea profert Bellarminus, niſi cauſæ pontificiæ minimè ſuffragari oſtendamus, gloriantur pontificij nos in cauſa noſtra penitus cecidiſſe.

Act. 2. 37. & cap. 16. 30.

Act. 8. 1. 1. Cor. 5. Lyndan. Panop. lib. 4. cap. 6.

Sed pergit Bellarminus minorem ſuam propoſitionem, quæ aduerſarios habet ſcripturas, patres, pontificios, alio argumento confirmare. *Chriſtus* (inquit) *conſtituit ſacerdotes iudices ſuper terram, cum ea poteſtate, vt ſine ipſorum ſententia, nemo lapſus reconciliari poſſit: ſed nequeunt ſacerdotes recte iudicare niſi peccata cognoſcant. Ergo iure diuino tenentur qui lapſi ſunt, peccata ſua ſacerdotibus aperire.* Reſpondeo. Nego majorem propoſitionem. Non enim ita conſtituit Deus ſacerdotes judices, vt ex eorum ſententia omnium abſolutio penderet. Tanta olim fuit hominis imbecillitas, vt cum Deum loquentem audire non valeret, hominis miniſterium efflagitauerit. Ea tamen jám illius eſt protervia, vt dei ſeruos, quorũ miniſteriũ petijt, in contemptu habeat. Eos igitur Deus multis, maximiſq; dignitatis, & honoris nominibus inſigniuit: appellando illos *ſeruos Dei, homines Dei, legates Dei, diſpenſatores myſteriorum Dei, Angelos Dei.* Nullo autem ſcripturæ ſacræ loco eos judices appellat. Sed ſi appellaſſet, non tamen inde ſequitur, quòd illi priuatorum peccatorũ judices conſtituerentur, Cum judicium publicum in apertos peccatores, vel excommunicandos vel abſoluendos exercere poſſint Et, ſi in confeſſione auriculari ſacerdotes ſunt judices, quorſum illa ſcholaſticorum diſtinctio *fori panitentialis & iudicialis*? Ea ſanè poteſtatem judicialem à foro pœnitentiali abdicat, niſi membra dividentia coincidere velimus.

Deut. 18.

2. Tim. 2. 24. 2. Tim. 3. 17. 2. Cor. 5. 2. 1. Cor. 4. 1. Apoc. 2.

Tria loca profert Cardinalis, quibus judiciariam illam potestatē demonstrari asserit. Primus locus est Mat. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Secundus est Mat. 18. *Quæcūq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Tertius est Iohannis 20. *Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

Horum testimoniorum primum, an ad Petrum solum (quod asserit Bellarminus) aut ad omnes simul Apostolos delatum sit, non est præsentis mei instituti discutere. Sed judiciariam illam potestatem, quam ille sibi vendicat, ijs verbis probari posse nego. Claues Apostolis dantur, habent authoritatem soluendi & ligandi, inde fiant ianitores, fiant lictores, non autem judices. Potestas illis peccata remittendi conceditur: sed, vt illud judicando præstarent non dicitur. Tota igitur controuersiæ nostræ cardo è medio, & modo remittendi pendet. Nos dicimus illud prædicatione verbi fieri; Nec sola tamen verbi prædicatione. Concedimus enim, & probamus disciplinæ potestatem, cujus virtute ligantur, & solvuntur peccatores. At pontificiam, quæ confessione clancularia nititur, funditus repudiamus. Illam verò contortis quibusdam ratiunculis probare industria aduersarij desudauit. Primò ex metaphora Clauium. *Nam inprimis claues* (inquit Bellarminus) *non solent dari ad significandum, ostium esse clausum vel apertum sed ad aperiendum & claudendum reipsa. Deinde apud homines, claues dari solent magistratibus in signum potestatis. Deniq; cùm in Apocalypsi dicitur de Christo; Qui habet clavem David, aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, omnes intelligunt per clavem veram, & propriè dictam potestatem ligandi & solvendi. Quare, cùm claves suas Christus cum Apostolis, eorumq; successoribus communicaverit, veram potestatem & authoritatem judiciariam solvendi & ligandi cum illis communicavit.* Respondeo; Cardinalis, hisce suis argutijs, est partim *falsidicus*, partim *nugatorius*, partim *blasphemus*. *Falsidicus* dum ea adversarijs suis obtrudit, à quibus illi sunt alienissimi. Nam claues esse, non solùm doctrinæ, sed etiam disciplinæ, concedimus. Ille autem innuere videtur, nos vnam tantùm clauem agnoscere, doctrinæ scilicet. Claues autem nos Censorias, juxta Christi institutum

Apoc. cap. 3.

tutum, & Apoſtoli praxin veneramur; & eiſdem peccatores ex eccleſia Chriſti exterminari affirmamus. Verum eſt, Claues magiſtratibus in ſignum poteſtatis dari, num igitur judiciariæ? Et, ſi detur miniſtris, per claues ſpirituales, poteſtas judiciaria, num igitur & de occultis criminibus? Proprium autem vitium agnoſcat Bellarminus, qui vnam tantùm clavem facto, etſi verbis plures eſſe fateatur. In illum ſocioſq; ſuos illa Chriſti reprehenſio cadit. *Va vobis legis intepretibus, quoniam ſuſtuliſtis clavem cognitionis.* Vt qui modo quodam ipſam clavem cognitionis, vſum verò ipſius penitus ſuſtulerint. Nam impiam illam Salmeronis cantilenam omnes fere pontificij canunt: [a] *Nunquam prædicator dum prædicat remittit peccata.* Quod ſi verum ſit, à verboſo illo prædicatore quærerem, quorſum ille tot tantaſq; conciones apud populum haberet, ſi nemi-nem peccatorum vinculis conſtrictum inde liberaret? Scripturæ ſanè huic opinioni è diametro repugnant quæ docent hominem ob peccatum, vt olim è terreſtri, ita nunc è cœleſti Paradiſo excluſum, miniſterio verbi quaſi claue rurſum introduci. Idcirco Deus miniſtros ſuos fecit *Ianitores*, domus ſuæ quaſi clavigeros, vt eorum miniſterio aditus in cœlum pijs & credentibus pateat. Hinc gentibus oſtium fidei aperitur. Hinc janua cœli cunctis patet fidelibus, iuxta illud Chriſti; *Abite in mundum vniverſum, prædicate Evangelium omni creaturæ; Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſervabitur.* Huic etiam Auguſtini expoſitio optimè convenit. [b] *Has claves dedit Eccleſiæ ſuæ, vt quæ ſolveret in terra, ſoluta eſſent in cœlo; quæ ligata in terra, ligata eſſent & in cœlo. Scilicet, vt quiſquis eum ſibi dimitti peccata non crederet, non ei dimitterentur. Quiſquis autem crederet, ſeq; ab his correctus averteret, in eiuſdem Eccleſiæ gremio conſtitutus eâdem fide atq; correctione ſervaretur.*

Mat.18.15,17. 1.Cor.5.3.5. Luc.11.52. *Alphonſ.Salm. Tom.11.Tract.28* 1.Cor.4.1. Act.14.27. Mar.16.15.16. *Aug.de doctrin. Chriſt.l.1.c.18.*

2 *Nugatorini* etiam eſt Cardinalis, dicendo claves non dari ad ſignificandum oſtium eſſe clauſum vel apertum. Quis enim noſtrùm illud negat? aut contrarium vnquam aſſeruit? Nam agnoſcimus, quòd verbi miniſterio, & Eccleſiæ Cenſuris, peccatores conſcientia ſcelerum ſuorum oppreſſi, ad bonam frugem ſe recipientes, ad ſpem & fiduciam æternæ vitæ eriguntur. Et hoc modo eos, [c] *qui antea ab ſq; Chriſto fuerant, alienig; à republica*

Eph.2.12.19.

publica Israelis, spem non habentes, Evangelij passis prædicationis in cœlum penetrare &c. Tantum abest, ut claues Ecclesiæ frustra dari dicamus: Vt qui fine earum beneficio neminem ad regnum cœlorum vsitatè pervenire concedamus, quia *potentiam Dei ad salutem, & Evangelium regni respuit.* Idq; docemus ab Apostolo edocti Iudæos ita alloquente. *Postquam repellitis sermonem Dei, indignos vosipsos decernitis æterna vita.* Imo in publicis criminibus, vbi exercetur disciplina: *Nemo occultè agendo apud Deum* (vt inquit Augustinus) *satis præstitisse putandus est.* Nam *qui Ecclesiam audire neglexerit, veluti ethnicus & publicanus habendus est.*

Rom.1.16. Mat.9.35. Act.13.46. Mat.18.17.

3. *Blasphemus* deniq; Bellarminus: dum quæ Christo soli sunt propria, peccatoribus attribuit. Nam illa verba B. Iohannis *Qui habet clavem David, aperit & nemo claudit; claudit & nemo aperit*, Christo propria sunt quarto modo: quod & verbum illud exclusivum (*Nemo*) optimè demonstrat. Vtq; *Nemo in cœlo, neq; in terra, neq; sub terra, nisi Leo ex tribu Iuda, aperire librum obsignatum poterat*: Ita sanè præter ipsum nemo cœlum apertum claudere, nemo clausum aperire valet. Distinguit M. Ayguadus, cum aliis potestatem clauium *in principalem, præcellentem & ministrantem.* Principalis est quam habet Deus; præcellens, quæ Christo, ministrans quæ ministris Christi competit. De cuius Christi præcellenti potestate, Iohannem hic locutum esse Ayguanus ibi docet. Humilis igitur, & laudabilis illa Apostoli sobrietas, piis omnibus amplectenda est. *Quis Paulus? quis Apollos, nisi ministri per quos credidistis?* Minister igitur, iure optimo, quod suum est, sibi vendicet: Quod tamen Dei est, quod Christi est, Deo & Christo reseruet; ne in supremam maiestatem iniuriosus reperiatur.

Apoc.3.7. Apoc.5.3. *Ayguan. in Ps. 31. Benavent. Gerrem. &c.* 1.Cor.3.5.

Secundo (inquit Bellarminus) *illud colligitur ex metaphora solvendi & ligandi. Ligare enim & solvere, non significat denunciare, vel declarare; sed re ipsa vincula injicere, aut demere.* Respondeo. Verè dixit Lactantius: *Nemo potest adversarium vincere, qui in dimicando non hostem verum, sed umbram petit*; Ita tamen agit Bellarminus, qui à non pronunciatis argumentatur. Dicimus enim & nos, ministros non solùm denunciare & declarare, sed reipsa vincula injicere & demere, tum verbi prædi-

Lactant. l.3.c.29

cationc,

catione, tum etiam excommunicatione, & absolutionæ. Peccata enim sunt laquei, vincula, funes, quibus miseri peccatores capiuntur, tenentur. Eruditione tamen divina, in spiritu lenitatis ad pœnitentiam adducti, ex diaboli laqueis elabuntur. Pœnæ etiam, quibus peccatores obnoxij fiunt, sunt laqueis similes, ut docet Christus; *Ligatis pedibus & manibus eius, tollite eum, & injicite in tenebras exteriores.* Hisce autem pœnarum laqueis extricant se per fidem, & pœnitentiam peccatores; quæ beneficia verbi prædicatione consequuntur. Deinde hæc clauium Metaphora causæ Cardinalis non astipulatur, vt quæ forum judiciale, non pœnitentiale denotet. Ita enim Lombardus metaphoram illam ligandi & solvendi explicat. Ita Iansenius; *Ille loco fundatur Ecclesiastica excommunicatio.* Ita Bonaventura: *Hic agit de absolutione & ligatione in foro judiciali:* Peccatorum verò vincula in foro judiciali excommunicatione injiciuntur, & absolutione demuntur. Et ad hæc præstanda Confessione clancularia quid opus est?

Pro. 5. 22. Prou. 5. 22. Mat. 22. 13. Rom. 8. 1. Ezech. 18. 21. Act. 2. 37. Rom. 1. 16. *Plum b. sent. lib. 4. dist. 18.* *Iansen. Concor. Cap. 147.* *Bonavent. in sent. 4. dist. 18. part. 2.*

Objicit Bellarminus, *Dicet esto, possunt sacerdotes solvere & ligare, non tamen necessarium idcirco erit eorum tribunal accedere. Non enim dominus ait, & quæcunq; non solveritis, non erunt soluta, &c. Sed hæc objectio facilè solvitur (inquit ille.) Nam etiamsi possint privati homines lites, quas inter se habent, sine publicorum judicum sententia componere: Non possunt tamen eas lites componere, quas cũ Rege habent, nisi illum adsint quẽ loco suo Rex judicem esse voluit.* Respondeo. Mira sanè facilitate Bellarminus solet objectiones solvere: & tamen cui mirum? quis enim pontificios flagellantes adeò dementes esse putet, vt ea sibi ipsis flagella impingant, quæ minimè patiantur? Aut quis Cardinalē ita esse insanum, ut ea sibi objiciat, quibus nó facilè respondere possit? et tamen nihil in disputando proficit, nisi, quod in quæstione positum est, egregiè mendicaverit. Ille enim tribunal quoddã judiciarium, ex proprio cerebro confinxit, quod & fundamentũ solutionis, & argumentationis suæ posuit; illud autem probandum restat.

Sed ut veritas magis triumphet, & vanitas Bellarmini planiùs appareat; Demus illi hujusmodi esse tribunal, quale ille somniavit: Tamen dico planè (quod ab illo objectum est) ne-

minem ad illud necessariò accedere debere. Nam si vlla necessitatis obligatio foret, tum certè eadem esset præcepti alicuius Divini; sed hujusmodi præceptum nullo loco scripturæ sacræ reperitur, vt [a] Zuares apertis verbis fatetur. Illud etiam Hugonis valde laudat [b] Bonaventura; *Medicis dixit vt curarent infirmos, non dixit vt infirmi ad medicos curandi causa venirent.* Alphonsus Salmeron fatetur: *Non est præceptum peccatori sacerdotes adire, nisi necessitas eos cogat.* Apertè autem & ingenuè Caietanus; *Vt ad sacerdotem aliquis confitendi gratia adiret, ex Divino præcepto hoc non apparet, quin potius insinuatur oppositum, dum 1. Cor. 11. Apostolus dicit, probet autem seipsum homo, & sic de illo pane edat ---- non dicit quòd probetur a sacerdote.* Idcirco si Deus illud non imperavit, quorsum aliquis tam vehementer vrgeret, aut necessarium esse contenderit? præcipuè cùm peccator alia ratione à vinculis peccatorum solvi, & reconciliari possit? Solutio etiam Bellarmini versutum veteratorem redolet: Nimirum, *Non possunt privati lites componere, quas cum ipso Rege habent, nisi illum adeant, quem loco suo Rex iudicem esse voluit.* Nam si postrema verba reticuisset, & dixisset tantùm, *nisi illum* scilicet *Regem* adeant; nihil verius, nihil rationi magis consentaneum; at nihil adversus causam suam fortius dici potuisset. Sicut enim judices politici pravatas lites componere possunt, scelera autem in regem perpetrata condonare nō possunt, quia ad eorum condonationem Regis venia necessariò requiritur: Ita se res habet in peccatis aduersus Deum commissis. Nam *si quis contra Deum peccat quis sese arbitrum interponet?* Appositè ergo Cyprianus; *Nec remittere, aut donare indulgentia suâ servus potest, quod delicto graviori in Dominum commissum est.* Hanc misericordiæ dispensationem Deus nulli mortalium detulit, sed sibi soli reservavit.

Ego solus deleo iniquitates tuas tanquam nubes dicit Dominus. Ad Deum igitur, quem Chrysostomus *verum illum confitentis iudicem* appellat, adeundum est. In illius conspectu dolendum, huic instanter supplicandum. Ad Christum etiam, qui toties, & tam misericorditer peccatores invitat, accedendum: quod si quis fecerit veniam & misericordiam certò & cito consequetur. Sed pergit Bellarminus: *Si possent rei sine sacerdotis sententia absol-*

[a] Zuares in Thom Tom. 4. §. 21.
[b] Bonavent. in sent lib 4. dist. 17 art. 2. q. 3.
A Salm. Tom. 11 tract. 18.
Caietan. in Tho. part. 3. q. 8. ar. 4
Iudex non potest dimittere, &c. in principem. Aquin. 3. q. 46. a. 2.
1. Sam. 2. 25.
Cypr. de lapsis.
Isai. 43. 12.
Ezech. 18. 21.
Mat. 11. 21.
Ioh. 7. 37.

ſolvere non eſſet vera Chriſti promiſſio, quacunq; ligaveritis erunt ligata. Vera ſanè eſt Chriſti promiſſio, at vana eſt Ieſuitæ argumentatio. Nam miniſtri poſſunt peccatoribus novum vinculum imponere, eos (ut dictum eſt) excommunicando quod eſt ligare, vt ipſe alibi fatetur: Poſſunt eos ſuo ſtatu verbum prædicando relinquere, quod eſt retinere, vt idem eò loci explicat: poſſunt etiam abſolvendo, et prædicando ſolvere, & remittere. Hæc, inquam, omnia præſtare poſſunt legati Chriſti, ſine illa ſententia, quam adeo neceſſariam eſſe pontificij contendunt. Bellar. de Rom. pont. l. 1. c. 12.

Tertiò, colligitur (inquit Bellarminus) *ex illis verbis Ioh. 20. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Hoc enim loco expreſsè datur poteſtas, non ſolùm remittendi peccata, ſed etiam retinendi. Retinere autem quid eſt, niſi nolle remittere? Proinde negatur remiſſio illis, quibus noluerit ſacerdos remittere.*

Reſpondeo, primum, poteſtatem peccata remittendi hoc loco dari libentiſſimè concedimus; ſed illud fieri poteſt, & ſolet verbi prædicatione; dum peccatores eo modo ad fidem & pœnitentiam adducti, peccatis & peccatorum meritis liberantur; cujus rei teſtimonia & exempla plurima ſacræ literæ præbent. *Fides ex auditu eſt*, quam fidem ſalus etiam certiſſima ſequitur. Rom. 10. Ioh. 3. 16. Chriſtus quoq; pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum *eius nomine prædicari* juſſit: hoc eſt; ideo verbum prædicari voluit, vt inde homines pœnitentiam, & pœnitentiâ remiſſionem conſequerentur. Deinde, dico cum Ianſenio; *hac collectio firma ſatis non eſt.* Quæ ſi vera eſſet, ex voluntate ſacerdotis remiſſio peccatorum penderet. Sed mera eſt inſania, ut ſacerdotis arbitrio, ac non potius pœnitentis converſioni remiſſio adſcriberetur. Rectè S. Hieronymus, *Apud Deum, non ſententia ſacerdotum, ſed reorum vita queritur. Notum eſt illud* (inquit Platina) *quod Bonifacius Procheto Gennenſi Archiepiſcopo dixerit, ad pedes, & eius die cinerum prodeunti: Nam cùm dici à ſacerdote tum ſolet: Memento ô homo, quod cinis es, & in cinerem reverteris; dixit, mutatis quibuſdam verbis: Memento homo, quia Gebellinus es, & in cinerem reverteris, in cuius oculos cinerem ecniecit, non in caput, vt mos eſt.* Hoc jamà Bellarmino ſciſcitarer. Si bilioſus iſte Epiſcopus, Archiepiſcopo huic Ianſen Concord. cap. 147. Hieron. in Mat. 16. Platin. in vita Bonif. 8. Id eſt Bonifacij. Tantæne animis cœleſtibus iræ

tremebundo remittere nollet; Num omnino peccata illius retenta, non remissa manerent? Præcipuè, cùm non solùm patres, & scriptura sacra doceant, sed etiam ipsi pontificij fateantur, quòd, errante clave, sacerdotes eos solvere possint, qui sunt ligandi, & eos ligare qui solvendi sunt. Absit, ut in potestate, aut voluntate sacerdotis esset, quos vult ligare, aut solvere; luctuosa enim esset nostra conditio. Non temerè petijt David, *Incidam quaso in manus Iehovæ; in manum hominis ne incidam.* Nec malè scripsit Bonaventura: *Beatus ille, cui Deus non imputat peccata, non cui homines.*

2. Sam. 24. 14.
Bonav. in Pſ. 31.

Quartò colligitur (inquit) *ex illa voce* (quorum) *Nec enim vult Dominus omnibus indefinitè peccata remitti, sed certis hominibus: at Evangelium omnibus prædicandum est.* Respondeo: Perperam nobiscum agit Bellarminus: Quasi nos Evangelij prædicationem, & remissionem per Evangelium adeptam commisceremus ejusdemq; ambitus faceremus. Novitius quidem, quòd Deus Evangelium suum omnibus indefinitè offert, at non omnibus peccata remittit, sed certis tantùm hominibus. At quibus quæso? Num peccata sacerdoti confitentibus? Nequaquam, sed credentibus & pœnitentibus, vt Christus, & sancti ejus amanuenses docuerunt. Toto igitur cœlo errat adversarius, qui medium remissionis, quod instituit Christus, nempe Evangelij prædicationem reijciens, Confessionem clancularium, commentum merè humanum, substituit.

Marc. 16.
Luc. 19. 9.
1. Tim. 3. 4.

Quintò (ait) *colligitur ex ceremonia insufflationis. Quemadmodum enim Christus Act. 2. Spiritum sanctum dedit in specie linguarum, quia dedit eodem tempore donum concionandi: sic etiam Iohannis 20. dedit spiritum sanctum insufflando, quia dedit donum peccata remittendi.* Respondeo. Primùm, Bellarminus hisce verbis Hopkinsi captiunculæ responsionem ministrat, qui Memoriale L. Granatensis commento suo nefario conspurcauit. Ille enim rationes protestantium ita irridet; *Quorsum* (inquit) opus est vt Christus daret ministris spiritum sanctum declarandæ remissionis causa? Non nudæ declarationis causa dedit: sed vt fructuosè prædicando, se & alios servarent. Gregorius igitur de Apostolis ita loquitur, *Hi spiritum sanctum habuerunt, vt in prædicatione quibusdam prodesset; Idcirco hunc patenter acceperunt.*

1. Tim. 4. 16.
Greg. in Evang. hom. 26.

Contem-

Contemnant ergo, quantum volunt, pontificij verbi prædicationem, vt spiritus sancti largitione indignam; Non puduit Christum dicere, *spiritum domini super se esse, vt evangelizaret atq; prædicaret.* Ingenuè & piè Dion. Carthusianus: *Infudit discipulis spiritum sanctum, quod officium prædicationis (quod eis commisit) sine speciali gratia spiritus sancti explere non valuit.* Sed quomodo dedit Christus donum peccata remittendi? *Non concionando* (inquit Bellarminus) *vt aduersarij somniant: sed planè extinguendo & dissoluendo.* Acuta sanè, ac non somniantis distinctio, sed planè delirantis, & eo modo disputantis, ac si diceret quispiam, Christus peccata nostra sustulit, non sanguinem suum effundendo, non moriendo, sed planè abolendo ac dissoluendo: quod non esset effectum per causam, sed idem per idem demonstrare. Quid enim est peccata dimittere, nisi dissoluere & extinguere? Quod fideles Iesu Christi ministri verbum Dei prædicando præstant. Idcirco Rupertus hæc verba Iohannis per illa Matthæi & Marci explicat. Voi Christus discipulis suis munus Euangelij prædicandi apertissimè dedit. Verba Feuardentij ad hoc proposita lectione digna sunt. *Opus equidem saluandi homines à peccatis & gehenna prorsus diuinum est, spiritu sancto dicente, Ego, Ego sum Dominus, & non est absq; me saluator. Sed quia ad hanc salutem hominum procurandam & peragendam, electorum sanctorum suorum vtitur ministerio, vtpote linguis, scriptis, exemplis, tanquam organis suis, & ipsi modulo suo, id est, ministerialiter* (vt in scholis loquuntur) *dicuntur peccata remittere & saluare, vt 1. Timot. 4. Attende tibi & doctrinae, hoc enim faciens & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt.* Hisce quid netuosius, vel ad loci explicationem, vel ad pontificiorum confutationem? At si, Bellarmine, non concionando, quomodo tandem remittuntur? Sequitur, *Vt flatus extinguit ignem & dissipat nebulas: sic etiam absolutio sacerdotis peccata dispergit, & euanescere facit.* vt Esaiæ 44. 17. *Delevi vt nubem peccata tua.* At quomodo ausus est Iesuita veritatem vanitate ita contaminare? Nec rationi suæ constat, nec Scripturæ testimonio, quod ipse attulit, conuenit. Nam insufflatio illa, non sacerdotis absolutionem, sed spiritus sancti afflatum designauit. Si appositè dicere voluisset, ita illum dicere oportebat, vt flatus extinguit ignem, & dissipat

Luc. 4. 18.

Dionys. Carth. in 20. 20.

Mat. 28. 19. Marc. 16. 15.

Feuardent in epist. Iude. v. 23.

nubes: sic etiam spiritus sanctus peccata dispergit, & evanescere facit; & ita cum Propheta conspirasset, qui Dei loco locutus, non dixit *absolutio delenit* (quæ tunc temporis, fatente Bellarmino, non fuit) sed, *Ego deleui* vt nubem peccata tua. Varias sanè spiritus sancti operationes ceremonia insufflationis ostendit. Nam vt ventus tenuitate sua interiora penetrat: ita spiritus sanctus arcana cordis rimatur. Vt ventorum flatus dispellit nubes: ita spiritus sanctus nubes ignorantiæ, & peccatorum dissipat. Vt flatus turres & castra deijcit: ita spiritus sanctus Evangelij prædicatione *munitiones subvertit, & omnem sublimitatem, quæ adversus Dei cognitionem extollitur.* Hæc omnia spiritus sanctus, non confessione, sed verbi ministerio operatur. Vnde B. Paulus verbum Dei *gladium spiritus, & potentiam Dei ad salutem appellat.*

Isai. 44. 22.
Ioh. 3. 8.
1. Cor. 2. 10.
1. Cor. 10. 4.
Ephes. 6. 17.
Rom. 1. 16.

Sexto, probari dicit Bellarminus ex patribus, qui loca notata ita exponunt. Ille autem solum, aut sellam suam iudiciariam illorum ope constructam, aut suffultam nunquam indicabit. Primo loco producitur Chrysostomus, de sacerdotio li. 3. *Etenim quî ijs cõmissum est, vt ea quæ in cœlis sunt dispensent? Iis datum est, vt potestatem habeant, quam Deus, neq; angelis neq; archangelis datam esse voluit. Neq; enim ad illos dictum est quæcunq; alligaveritis in terra &c.* Deinde, ita assumit Cardinalis: *At certè possunt Angeli annunciare hominibus remitti peccata, si credant, non remitti, si non credant*; Ex quibus sic concludit. *Non igitur potestas annunciandi, sed verè absolvendi, ac ligandi, data est sacerdotibus.* Respondeo; Hæc non bene conveniunt. Neq; enim illis nostra refutatur sententia, nec assertio pontificiorum confirmatur. Nos enim (vt sæpius dixi) non solùm potestatem annunciandi, sed verè absoluendi, licèt ministerialem, sacerdotibus dari ingenuè fatemur. Illud etiam quod sequitur, *Deus non dedit angelis suis eam potestatem solvendi et ligandi, quam dedit hominibus, verum esse agnoscimus.* Nec dedit itidem illis potestatem illam, vt essent verbi & sacramentorum dispensatores. Hoc etiam notavit Chrysostomus. *Docendi munus angelus sibi non sumit, sed Apostolis concedit.* Sed observet lector, quàm solutè Bellarminus (vt sæpe solet) ratiocinatur. *Non data est angelis potestas absolvendi, sed possunt annunciare peccata esse remissa.* Possuntne? quo tandem iure illud pos-

Chrys. Orat. 4.

sunt

sunt? Deditne eis deus illam potestatem? Illisne dictum est, *prædicate verbum omni creaturæ*? Nam illud Cardinali probandum erat, & ita inferenda minor propositio; *At data est illis potestas annunciandi remissionem peccatorum:* Aliter verò conclusio ex præmissis non rectè elicitur. Nam á posse ad esse & licere non est bona semper consequentia.

Pergit Chrysostomus, & pergit Bellarminus. *Vt terrestres principes habent potestatem vinculi, ita habent animarum sacerdotes: sed principes annunciare non solent, quis vinctus quisve solutus, sed planè ligare & solvere, Ita & sacerdotes.* A page Bellarmine cum ista tua crambe. Nos enim mera annunciatione non nitimur, sed dicimus, quòd dei sacerdotes vincula vere inijciunt, & demunt, excommunicatione, absolutione & verbi prædicatione. *Pergit* (inquit) *Chrysostomus. Quorumcunq; peccata retinueritis, retenta sunt. Quanam, quaso potestas hac vna maior esse queat? At annunciare, fidelibus peccata remitti, infidelibus retineri, non magna res est, ait Bellarminus.* Non est res magna? Erravit igitur Apostolus, erravit & propheta, qui eandem rem magnam esse docuerunt, dicentes: *Quàm speciosi sunt pedes annunciantis & prædicantis pacem? annunciantis bonum, prædicantis salutem?* Quis adeo hebes esse poterit, qui se inde beatissimum non putet, quòd peccata sibi remitti ostenditur? Quæ quidem annunciatio *linguam eruditam, & defesso verbum eloqui scientem* postulat. Imo B. Paulus hanc verbi prædicationem tanti æstimavit, vt de eadem ωδυνᾶσθαι exclamaverit, *Ad hac quis idoneus? Pergit Chrysostomus; Pater omnifariam filio potestatem dedit; cæterum video eandem ipsam omnifariam potestatem á filio traditam illis. At pater* (inquit Bellarminus) *non nudã filio evangelij annunciandi facultatem dedit. sed planè ex autheritate peccata dimittendi, vt videmus Marci. 9.* Respondeo; si vnquam Chrysostomus (quod non semel [a] Bellarminus de patribus asserit) *minus cautè locutus est*, si vnquam aliquid *per excessum* [b] vt de eodem ipse fatetur, certè hoc in loco fecit. Quis enim cautè loquens diceret, omnifariam potestatem, quam á patre Christus accepit, ab illo sacerdotibus tribui? Christus enim *potestatem habuit vitam deponendi, & iterum sumendi, habuit potestatem dandi suis æternam vitam; Imo omnem habuit potestatem à patre datam in cælo & in terra.* At cui tandem sacerdoti possunt illa

Isai. 52.7. Rom. 10.15.

Isai. 50.4. Iob. 33.23.

2 Cor. 2.16

Mat 9.6

[a] *Bellar. de Rom. pontif. lib. 2. cap. 10. Dec. hom. lib. 2. cap. 2.*

[b] *Bellar. de Miss. lib. 2. cap. 10*

Ioh. 10. 18. Ioh. 17. 2. Mat. 28. 18.

illa convenire? Num pontifici Romano? Si non illi, certè nulli, vt ipsi pontificij facilè fatebuntur. Habetne ille potestatẽ ponendi vitã suã? Si habuisset, proculdubio non *pra dolore animi perijsset* Leo quintus, *quòd à Christophero spoliatus honore esset.* Nec veneno interijsset Alexand. sextus, *quod pro Corneti Cardinalis Valentius Alexandri filius paraverat.* Non tam brevis fuisset eorum vita, quos, tanquam *monstra quadam, è medio brevi Deus sustulit.* Habetne potestatem vitam resumendi? Certè si habuisset, non passus esset Formosus corpus suum tam deformẽ reddi; *quod è sepulcro tractum, & capitali supplicio, ac si viveret, affectum in Tyberim proiecit, tanquam sepulchro indignum*, Sergius Tertius. Habetne potestatem vitam dandi æternam quibus velit? Ita sanè dixisse videntur adulatores illius. Nam Iohannes de Capestrano sic scribit: *Vbi quæritur, ad quid protenditur authoritas papæ? respondeo breviter, quòd ad omne bonum, & ad nullum malum. Est enim quasi Deus in terris.* Habetne omnem potestatem in cœlo & in terra sibi datam? Certe aliquid huius sententiæ non dissimile tribuit huic Concilium Lateranense. At quorum aures atq; animi non horrent hæc, & alia huiusmodi, audire? Quis æquo animo ferat, vt quispiam *omnifariam Christi potestatem* sibi vindicaret. Multò consultiùs fecit Andradius, qui hanc Chrysostomi sententiam proferens, non ausus eandem approbare, verbo *Omnifariam* mutato, ita lenivit: *Hanc potestatem Christum in Sacerdotes magna ex parte transfudit.* Quod igitur Chrysostomus *declamatoriè scripsit* (vt solet) in laudem sacerdotij, ne torqueat Bellarminus sophisticè in defensionem Confessionis suæ. Deinde nos non dicimus, Christum Evangelij annunciandi nudam facultatem habuisse, sed plenam, & plenam authoritatem peccata remittendi. Non tamen quà homo erat, sed quà Deus. Quod & Patres verbis luculentissimis, in illa verba Euangelistarum, ostendunt. Sed objiciunt pontificij quòd dicitur, *filium hominis habere potestatem dimittendi peccata, ergo non solus Deus dimittit.* Respondeo, Negatur consequentia. Nam Euangelistæ in illis verbis (filius hominis) propter *κοινωνίαν ἰδιωμάτων*, illud aliquando humanitati tribuunt, quod ad diuinam naturam pertinet. Vt Iohannis 3. *Filius hominis è cœlo descendit.* Vel sunt illa ita exponenda, quasi diceret Christus, hęc mea humanitas (quam solam

Plat. in vita Leon. 5.
Guicciar. hist. Ital. lib. 4.
Plat in vita Christop. 1.
Plat in vita Sergij 3.
De pap. & Eccles. author. pag. 93.
Concil Later. Sess. 10.
And. ad Orlon. explic. lib 8. Theodor. di. l. 3. Irenæ. lib. 5.
Chrysost. in Mat. ho. 30.
Ambros. de Cain & Abel. l. 2. c. 4.
Hilar. in Mat. Can 8
Euthym. in Mat. 9.
Bern. de Convers. ad Cler. ca. 23.

solam cernitis) non impedit, quò minus ego peccata remittam. *Obsistebat illis caro*, ait Chrysostomus; *Ex hoc concludit virtutem divinitatis suæ per factum*, inquit Ludolphus; *Hominem tantùm in Christo contuebantur, Deus in homine curationem homini præstabat*, ait Hilarius. *In Christi humilitate impingebant, quoniam noverunt Deum per Prophetam dixisse, ego deleo iniquitates*, inquit Stella. Omnes deniq; unanimi consensu, Patres aiunt, quòd Christus diuina authoritate peccata remisit, idq; hominem paralyticum mirificè sanando, statum ostendisse. Pontificij solent de patribus magnopere gloriari, à quibus hac in controuersia se penitus desertos videant; quorum judicio si non steterint, rationibus tamen eorum auscultare debent. *Christus habuit potestatem peccata remittendi; nec mirum*, ait Basilius, *cum Deus fuerit, at qui prius est Deo peccata remittere. Habet potestatem peccata remittendi, cui subest totum quod loquitur*, inquit Hilarius. *Qui pro peccatis mortuus est*, ait Ambrosius. *Solus potest donare indulgentiam, qui solus non potest admittere culpam*, ait Fulgentius. *Qui peccata nostra portauit*, ioquit Cyprianus. *Qui est agnus tollens peccata mundi*, ait Augustinus. *Quia Dominus, seruus autem remittere non potest*, dicit Theophilactus. *Quia sunt sine peccato, homines autem non possunt, quia sunt peccatores*, ait Origenes. *Ipse absolvit, qui incommutabiliter damnare potuit*, dicit Cassiodorus. * *Redundat in Dei gloriam non modicum, quòd ipse solus, & non alius possit homini dimittere peccata.* Hisce etiam testimonijs plura, si opus esset, annumerarem.

Chrys. in Mat. 9
Ludol. de vita Christi per. 1. cap 48. Hilar. in Mat. Can. 8.
Stella in Luc. 5.
Basil. Contra Eunom lib. 5. ca. 3
Hil. in Mat. Can. 8.
Ambros. de Cain & Habel. 2. 4.
Fulgent. ad Trasim. lib. 1. de myster.
Cypr. de lapsi.
Aug. hom. 23.
Theophil. in Io. 8
Origen. in Mat. hom. 1.
Cassiodor in psal. 23.
* Did de la vega in psal. penit. 2. con. 2.

Addit Chrysostomus, *Deum quasi Regem hunc honorem sacerdotibus suis detulisse, vt delinquentes in carcerem conijcerent eosdemq; relaxent.* Vnde Bellarminus, *Poteratne Chrysostomus apertius potestatem vere & propriè iudiciariam declarare?* Respondeo; si Chrysostomus non poterat aptiùs declarare, certè non omnino potuit. Non enim declarauit. Nam primùm, locus à similitudine pendet, quæ non debet quatuor pedibus (vt dicitur) currere. Deinde non sunt semper judices, qui authoritatem à Rege habent in carcerem conijciendi, sed aliquando inferioris conditionis viri. Hoc in loco deniq; sacerdotes judices non esse, quales à Bellarmino intelliguntur, ex ipsis Chrysostomi verbis perspicuè apparet. Vtq; Cardinalis, vel fraus, vel incogitantia

planiùs innoteſcat, & omnium ferè pontificiorum candor, in ſcriptis patrum recitandis, appareat, non grauabor locum Chryſoſtomi plenius deſcribere. *Quid multa? Rex aliquis, ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, vt poteſtatem habeat quoſcunq; velit in carcerem coniiciendi, eoſdemq; rurſus laxandi, beatus ille & admirandus &c. Deinde, inſania enim manifeſtaria, deſpicere iſtum tantum principatum, ſine quo neq; ſalutis, neq; promiſſionum bonarum compotes fieri poſſumus. Nam ſi non poteſt quis in regnum cœlorum ingredi, niſi per aquam & ſpiritum regeneratus fuerit, & qui non manducat carnem domini, & ſanguinem eius non bibit aeterna vita priuatur (omnia autem hæc haud aliter quam per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus inquam Sacerdotum) quò fiet, vt citrà illorum opem, aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſita in cœlis coronæ præmia aſſequi?* Hæc Chryſoſtomus. Eccè principatum & poteſtatem ſacerdotibus à Deo datam maximè venerandam. *Non enim ſine illorum ope, aut gehennæ ignem*, quæ eſt carcer miſerrimus, euitare, aut repoſitam in cœlo coronam, quæ eſt beata liberatio, conſequi poſſumus. Sed quomodo tandem illam nobis opem præbent? Vt judices? quid vanius? per Confeſſionem auricularem? Quid futilius? Quid à Chryſoſtomi mente alienius, qui neq; hoc, nec illud vllo modo meminit? Sed vt miniſtri Ieſu Chriſti, ſacramentorum diſpenſationem habentes, quorum admimſtratione nos à gehenna liberant, & ad cœlum ducunt. Si hoc ſit Sacerdotum iudicium, vbi quæſo eſt tribunal Bellarmini? Vbi Iudices? Vbi Confeſſio?

Addit vltimo ibidem Chryſoſtomus, *Corporis lepram purgare ſeu* (veriùs dicam) *haud purgare quidem, ſed purgatos probare, &c. At verò noſtris Sacerdotibus, non corporis Lepram, verùm animi ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Vnde Bellarminus, *Hoc verò loco, tam perſpicuè Chryſoſtomus ſententiam aduerſariorum damnat, vt nihil omnino reſponderi poſſit.* At liceat quæſo (ſi non nobis aduerſarijs tuis) Hieronymo ſaltem reſpondere. Nam in Confeſſione, lepra & ſordes animæ ita non purgantur, ſi fides huic patri habenda ſit; qui in Matthæi 16. ſic ſcribit; *Legimus in Leuitico vbi iubentur vt oſtendant ſe ſacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à ſacerdote immundi fiunt, non quòd ſacerdotes leproſos faciunt & immundos,*

Hieron. in Mat. 16.

ſed

ſed quia habent notitiam leproſi & non leproſi, & poſſunt diſcernere qui mundus, quive immundus ſit. Quomodo ibi ſacerdos mundum & immundum facit, ſic & hic alligat, & ſolvit Epiſcopus & Preſbyter. Sacerdos ſub lege *mundum facere* contextu Hebræo dicitur, מטהר, quod eſt ad verbum, *& mundato eum ſacerdote*, qui tamen leproſum non verè mundauit, vt verè dicit Chryſoſtomus: Ita, ſub Evangelio, miniſter ſoluere & ligare dicitur, cùm tamen propriè nec ſoluit, nec ligat, vt verè docet Hieronymus. Præterea, locus iſte Chryſoſtomi, de Confeſſione, aut abſolutione non eſt intelligendus. Sed quomodo (dices) purgant animæ ſordes presbyteri, ſi non confeſſione? Reſpondet Chryſoſtomus; *Non in vitam æternam generant* (quod fit per verbum Dei manentis in æternum) *non doctrina ſolum aut commonitionis, ſed etiam precum præſidio.* Eccè igitur Chryſoſtomi ſententiam. *Sacerdotes in gehennam conjiciunt, & relaxant, purgant lepram, & mundos faciunt* peccatores *ſacramentorum, doctrina, & precum beneficio, non confeſſione*; quæ ſi tanti eſſet momenti, quanti Bellarminus eſſe contendit, inter maximas laudes, & honores miniſtris ex eorum muneribus emergentes, Chryſoſtomus proculdubio illam, ſine juſtis ſuis encomijs, prætermittere noluiſſet.

Levit. 13. 6.

Chryſoſt. ibid. 1. Pet. 1. 23.

Progreditur Bellarminus ad alios patres, & primò Nazianzenum, cuius verba hæc ſunt, *Ipſa Chriſti lex vos quoq; præſides meo imperio tum ſelis ſubijcit.* Reſpondeo; Pontificij Imperatores potius, & Reges ex hoc loco ſacerdotes ſuos conſtituunt, quàm Iudices. Deinde vox illa *Cuius ſunt geſtum*, potius, quàm *tribunal iudiciarium*, ſignificat; Vt apud Nehemiam (juxta ſeptuaginta) legimus; καὶ ἔστη Ἔσδρας ἐπὶ Ξύλου ἐν ᾧ ἐλάλει, id eſt, *& ſtetit Eſdras ſuper gradum ligneum quem fecerat ad concionandum.* At ſi ſolium hoc pro tribunali accipere velimus; non de ſella judiciaria, ſed prædicatoria (vt ita dicam) Nazianzenum loqui, tũ antecedentia, tum etiam conſequentia oſtendunt. Antecedentia; *Num ſermonem ſuſcipitis liberum?* Sequentia; *Et quòd lex Chriſti vocem meæ poteſtati, meoq; ſubiecit tribunali (imperamus enim & ipſi) ſuſcipite igitur vocem liberiorem.* Hanc nemo poteſtatem aut imperium, pio concionatori negandam eſſe judicat, nimirum vt magna authoritate, & ſermonis libertate verbum Dei prædicet. Tertium Bellarmini teſtimonium ex Ambroſio ſumitur; qui

Nehem. 8. 4. Sic transfert Arias Monta. & exponit.

ex

ex Mat. 16. & Ioh. 20. probat sacerdotibus datam esse à Christo potestatem peccata remittendi. Quis autem illud improbat, quod est scripturis consentaneum? Sed de quali loquitur potestate S. Ambrosius? *De vera* (inquit Bellarminus) *non de solo ministerio Evangelizandi.* Rectè quidem, quasi ministerium Evangelizandi rationi peccata remittendi opponeretur: Cùm sit verum, imo & præcipuum medium, & remedium, vt pote *potentia Dei ad salutem. Peccata etiam* (Ambrosio teste) *remittuntur per Dei verbum cuius interpres est Levita.* Nos autem non contendimus, Ambrosium, eò loci, de ministerio evangelizandi disputare: sed de ministeriali potestate peccata remittendi per absolutionem ministerialē. Illam negabant Nouatiani, de eadem dimicabat Ambrosius, quam & nos libenter concedimus. Non tamen immediatam illam potestatem, quam in sacerdotibus residere pontificij affirmant. Talem ijs negamus; quam & Ambrosium negasse variis locis perspicuum est. *Ille* (inquit) *solus peccata dimittit, qui pro peccatis mortuus est. Sacerdotes non in suo sed in patris, & filij, & spiritus sancti nomine, peccata dimittunt. Isti rogant, diuinitas donat.* Idcirco Christum potestatem tantùm ministerialem eum discipulis suis communicasse ex Ambrosij testimonio certissimum est. Quartum testimonium ex Hieronymo profertur. *Qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo ante diem iudicij iudicant.* At quorsum hæc? Iudicant, ait Hyeronymus, ergo sunt judices, concludit Bellarminus. Ita sanè; sed nihil ad causam suam. Nam judicant, vt ait Hieronymus, *quodammodo*, non omni modo. Iudicant *prædicando*, vt habet Nazianzenus. Iudicant *excommunicando*, & *absolvendo* in publicis criminibus, vt dicit Ambrosius. Iudices autem eos, in priuatis criminibus dijudicandis, constitutos probandum adhuc restat.

Nec dissimile est sequens Augustini testimonium, qui iudicium, & sedes illas Apocalypseos 20. *De iudicio præpositorum intelligit*, secundum illud: *Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt in cœlo. Vnde inquit Apostolus, quid enim mihi est de his, qui foris sunt, iudicare? Nonne de his, qui intùs sunt, vos iudicatis?* Nam loca quæ ab Augustino adhibentur, ostendunt planè, quale ille judicium ministris Christi attribuit. Primus enim, juxta pontifici-

Rom. 1. 16.

Ambros. de Cain & Habel. lib. 2. ca. 4.

* Vt apud Cyp. legimus Epist. 52.

Ambros. de Cain & Habel. 2. 4.

Amb. de Sp. San. lib. 3. ca. 19.

quo supra.

Testimon. 5.

Apoc. 20. 4

1. Cor. 5. 12.

ficiorum doctissimos, ad externum forum pertinet. Alter etiam Apostoli de publico illo judicio loquitur, in quò, incesto flagitio pollutus excommunicatur. Quid autem hoc ad examen, & iudicium clancularium?

Sextum testimonium est Innocentij. *De pondere* (inquit) *æstimando delictorum, sacerdotis est iudicare.* Respondeo; Innocentius, eò loci, de iudicio etiam publico sermonem habet. Nam de pœnitentia & remissione loquitur, quæ quinta feria ante pascha frequentabatur. [b] Quæ & secuiis posterioribus in pompam quandam scenicam mutata est. *Innocen. ad Decent. cap. 7.*

[a] *Durand: Rationale diuinorum lib. 6. cap. 73. n. 567.*

[b] *Beda. Confes. Cap. 7.*

Vltimum testimonium est Gregorij, qui illa domini verba exponēs, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. ait, *Principatum superni iudicij sortiuntur, vt vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdā relaxent.* Respondeo; Gregorius de illa absolutione loquitur, quę apud nos viget. Vbi nō quivis sacerdos sed (vt illius verbis vtar) *episcopi ligandi atq; solvendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.* Deinde, Gregoriū de ministeriali potestate locutum esse constat. Dicit enim quòd iudicium illud Episcoporum supremum iudicium sequitur. *Greg. hom. 26. in Evangel.*

Septimò (inquit Bellarminus) *probatur rationibus. Ac primùm, si non essent sacerdotes iudices, nec verè peccata remitterent, nemo periret ex eo solum, quòd sacerdotem reconciliantem habere non posset. At S. Augustinus in epist. 180. apertè scribit, aliquos reconciliari cupientes in æternum perire, quòd ante moriantur, quàm à Sacerdote absolvi potuerint. Quantus,* inquit, *in ecclesia fieri solet concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam ipsius pœnitentiæ actionem, omnibus consolationem, & sacramentorum confectionem & erogationem? Vbi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt vel ligati?* Respondeo; Nego maiorem propositionem. Nam perire multos pontificij fatebuntur, ex eo quòd desit illis verbi prædicatio, qui tamen negabunt, ministros in verbi prædicatione esse judices, & peccata remittere. Deinde non perierunt illi simpliciter ob defectum confessionis, & absolutionis, sed quia conscientiæ eorum, peccatorum pondere oppressæ, sine auxilio & consilio ministri eruditi, nullum pacis centrum aut asylum inuenire potuerunt. Vnde, graui oneri succumbentes,

Hos. 4. 6. Prou. 29. 18.

bentes, miserè interierunt. Aliter verò, exitium & condemnationem illis ascribere, qui confiteri in votis habuerunt, est contra generalem pontificiorum doctrinam. In tali vero anxietate & angore animi, nos confessionem & absolutionem, vt valde necessariam probamus.

Deinde (inquit Bellarminus) *Si Sacerdos non aliter peccata remitteret, quam annunciando diuinas promissiones; certè non nisi frustra ac ridicule absolverentur surdi, & ob vim morbi sensibus destituti. At in Ecclesia veteri non solum surdi, sed etiam qui ob vim morbi extra se positi erant, aliquando reconciliabantur, vt patet ex Augustino.* Respondeo; Minor propositio falsa est, nec patet ex Augustino. Ille enim, eò loci, reconciliandos docet, non qui surdi & extra se positi; sed qui moribundi, desperati; & intra se pœnitentes, iacuerint; quibus annunciare diuinas promissiones ridiculum, aut supervacaneum non est, sed valde necessarium. Vbi, cum lingua ad confitendum deficit, vt in morbis grauioribus contingere sæpe solet, auditus tamen ad consolationem hauriendam sufficiat. Hic etiam alteram minorem propositionem Bellarmini falsam esse ostenditur; Ille enim, introitu disputationis, ita assumit, *Sed nequeunt sacerdotes rectè iudicare, nisi peccata cognoscant.* Quomodo enim eorum peccata cognoscant, qui extra se positi sunt? Hos tamen absolvendos, ne pereant, ipse asserit. De Bellarmino igitur verbis Ciceronis aptè vtar. *Quæ sibi constanter conuenienterq́, dicat non laborat.*

Aug. de vtilit. D. coniug. lib. 1 cap. vlt.

Cap. 10.

Tertiò (inquit) *Si absolutio esset annunciatio remissionis peccatorum, vel temeraria esset, vel superflua. Si absoluta temeraria esset, cum ignotum sit, an is, qui reconciliationem petit, sit verè pœnitens. Præterea, etsi amsi aliquo modo id minister nosset, melius tamen nouit ipse pœnitens, proinde nor. eget illa annunciatione ministri. Si verò est conditionalis, non potest certum & securum efficere pœnitentem, cùm ex incerta conditione pendeat.* Respondeo; Quid tandem est in hac molli & enervata ratione, quod in ipsa pontificiorum capita non recidat? Nam si eorum absolutio sit absoluta, temeraria erit, dum errante claue ligandos solvant & solvendos ligent. Hoc patribus Synodi [a] Rhemensis non incognitum, qui ad Iohannem pontificem Rom. 12. fulmina anathematis minitantem ita scripserunt, *Excommunicationem vestram parvi pendimus.*

[a] *Luitprand. Tim. lib. 6 cap. 9 10.*

mini. Nemo est mortalium, nisi diuino spiritu afflatus, qui cuivis homini absolutè dicere potest, *Peccata tua tibi sunt remissa*. Sed vt seruator noster homini opem suam imploranti dixit, *Si credis omnia tibi sunt possibilia*: Ita etiam minister dicat pœnitenti; cujus conscientia, si assumat in syllogismo, *credo, & me peccatorum pœnitet*, beatus ille iudicandus est. Ad illum etiam vox illa Nathanis pertinet, *Dominus transtulit peccata tua*. Absoluta igitur pontificiorum absolutio temeraria est, conditionalis autem nostra diuina authoritate confirmata. Quid si etiam pœnitens ministro melius cognoscat se pœnitentiam habere non frustra erit absolutio, nisi forsitan dixeris Nathanem Dauidi peccatorum suorum condonationem enarrando frustra fecisse. Multi sanè sunt, quorum conscientiæ peccatorum stimulis vexantur, qui & benè nôrunt, se pœnitentiæ compotes esse, nec possunt tamen sibi pharmacum consolationis adhibere. Illis *annunciatio remissionis non est superflua*. Marc. 9. 23. 2. Sam. 12. 13.

Quartò, (inquit Bellarminus) *si absolutio non est actus iudicialis, sed simplex annunciatio diuinæ promissionis, non minus absoluere poterit laicus, vel fœmina, imo Diabolus vel etiam Pharisæus, quàm Sacerdos: sed illud est contra omnium consentionem, & contra consuetudinem omnium seculorum*. Respondeo, primùm. Quidni potest Laicus absoluere, qui secundùm Thomam in confessionibus audiendis *aliquo modo participat de actu clavis, & secreta sub sigillo seruare tenetur*? Quid etiam (secundùm pontificiorum dogmata) impedit quò minus fœmina possit absolvere? Nam qui docent, non modò laicos, sed etiam *fœminas in extrema necessitate posse baptizare*, quo tandem iure eas à pœnitentiæ ministerio arceant? Diabolus verò vt absolvat, contra omnium seculorum consuetudinem esse, quis vnquam dubitet, nisi qui eundem ex tentatore doctorem fieri posse putet? Et tamen minimè dubitandum assero, quòd si vel cacodæmon aliquis pœnitentiarius extitisset, vix vnquam illum atrociora scelera absolvere voluisse, quàm Sacerdotes plurimi pontificij absolverunt. Et, si vellet diuina dispensatio, cui mirum esse potest, si Pharisæus confitenti vice pœnitentiarij æque fungeretur, atq; Petro peccanti gallus concionatoris? Sed nego consequentiam, nempe si absolutio annunciatio simplex sit diuinæ promissionis, tunc fœmina Thom. in sent. lib. 4. dist. 22. q. 3 art. Bellarm. de bapt. lib. 2 cap. 7. Mat. 26.

Diabolus, vel pſitacus abſoluere poterit. Nam etſi abſolutio, quoad verborum profatum, in hominum, fœminarum, etiam & Dœmonum poteſtate ſit, ad officium tamen Sacerdotale divina ordinatione eadem propriè pertinet. Hocq; in foro publico ita eſſe fatebitur Bellarminus, vbi Laicus, Fœmina, Diabolus, aut pſitacus nullam abſoluendi authoritatem habent.

Hiſce igitur argumentis, teſtimonijs, rationibus aduerſarij iuſta trutina expenſis, cum Did: Vega pontificio & à pontificijs doctis, vna cum opere laudato dicam; *Hæc iudiciaria poteſtas remittendi peccata apud ſolum Deum reſidet.* Et cum Gratiano monacho, Vega longè antiquiore concludam. *Dominus oſtendit, quòd non Sacerdotalis indicio, ſed largitate diuina gratia peccata emundantur.*

Did. Vega in Pſ. pœnit. cit. 6. con. 2.

Gratian. decret. par. 2. di. 1. q 3. cap. conuertim.

CAP. 3.

Vmbratile Cardinalis argumentum à typis, quibus Confeſſionem Auricularem adumbratam aſſerit, refellitur.

Sacramenta Chriſtiana non ſimpliciter in diuinis literis indicantur, ſed primùm in lege naturæ & Moſis adumbrata, ac prænunciata, deinde à Chriſto promiſſa, tum inſtituta, poſtea frequentata, & commendata in Scripturis inueniuntur. Hæc Bellarmin. qui & Baptiſmum & Euchariſtiã pro exemplis proferens, ita concludit. *Quod idem de confeſſione demonſtrari poteſt.* Reſpondeo; Etſi ratio ordinis poſtularet, vt confeſſionis fundamentum in typis poſitum primo loco oſtenderetur: Tamen, quia typica argumenta, quaſi homines pictos, & milites imaginarios, in exercitus acie collocare, nimis ridiculum putaretur; Aduerſarius ea aliter compoſuit; & in fronte illud argumentum eduxit, quòd, etſi nullo modo verius, longè tamen ſpecioſius eſſe videatur. Sed rationes Bellarmini vmbratiles, quibus confeſſionem ſuam futilem in lege naturæ & Moſis adumbratam oſtenderet, diſcutiamus.

Ex figuris (inquit ille) *duplex argumentum ſumi poteſt. Primò enim, ſi confeſſio, quam Deus in teſtamento veteri exigebat, figura quædam erat, certè neceſſe eſt, vt in nouo teſtamento ſit etiam confeſſio*

ſeſſio peccatorum à Deo præcepta: ſed revera erat, cùm omnia illa contingerent in figuris. 1.Cor.10.

Reſpondeo; Nego minorem propoſitionem. Nam confeſſio in veteri teſtamento non erat figura ſequentis in nouo. Hoccq; adprimè notandum vellem, nempe illud, quod Bellarminus de ſacramentis diſputans, toties aſſumit, vaniſſimum eſſe; ſcilicet, ſacramenta veteris Teſtamenti, noui Teſtamenti ſacramentorum figuras propriè fuiſſe. *Figura* ſanè fuerunt, *& vmbra*, vt dicit Apoſtolus, *ſed Chriſti*, qui eorum fuit *corpus & complementum*. Non ſacramentorum noui Teſtamenti, quæ figuræ Chriſti ſimiliter ſunt, non veterum Sacramentorum corpora. Rectè igitur Auguſtinus, *Erant illa ſacrificia figurantia & præmunciantia* (non noſtra Sacramenta) *ſed vnum Chriſti ſalutare ſacrificium*. Et, ſi aliquando patres Sacramenta vetera nouorum typos & figuras appellant: Tamen, vt Bellarminus dicit, *Sacramenta dicit largo modo, quæ ſunt figura ac typi aliarum rerum*: Ita & ipſe dicam, quòd quædam apud patres & Scripturas, largo modo typi & figuræ dicuntur, propter ſimilitudinem quandam, quam inter ſe comparata habent, vt apud Tertullianum, *Debitum in Scripturis delicti figura eſt*. Non immeritò igitur Bellarminus veterem interpretem laudat, qui 1. Petri. 3. ἀντίτυπον vertit *ſimilis formæ*; & addit,[2] *Cum ergo patres Sacramenta vocant Antitypa eorum rerum quarum Sacramenta ſunt, nihil aliud ſibi volunt, quàm habere Sacramenta maximam ſimilitudinem cum his rebus quarum ſunt Sacramenta*. Præterea, Bellarminus teſtimonio, quod ad minorem propoſitionem ſuam confirmandam protulit, valde abuſus eſt. Nam relicto pronomine ταύτῃ, quod in contextu habetur, particularem propoſitionem in vniverſalem mutauit. Et, cùm Apoſtolus dicit, *Hæc omnia in figura contingebant illis*, Ieſuita ne deeſſet ſibi figura in Confeſſione, tranſtulit, *Omnia illa contingebant in figuram* quaſi etiam & preces, & pietas, & pœnitentia eorum eſſent res vmbratiles, & noſtrarum precum, pietatis, & pœnitentiæ figuræ. Deniq; ſi vox typus ad mare, ad manna, & Petram referretur, non eſſent illa typi noſtrorum Sacramentorum, ſed Chriſti; vt docet S. Auguſtinus eadem verba exponens; *Chriſtus eorum figurarum eſt veritas*. Imo ipſe Bellarminus [2] alibi typum illum Petræ materialis, non ad menſam Domini

Coloſ.2.17.

Aug. in pſal.50.

Bellar. de effectu ſacra. lib.2.ca.24

Tertul. de Orat cap.7.

Ita etiam vulgat. Rom.5.14. transfert typum formam.

[2] *Bellar. de ſacrain gen. lib.1. cap.9.*

1.Cor.10.11.

Aug. cont. Fauſt Manich. lib 12. cap.6.

[2] *Bellar. de chriſto lib.1. ca.14.*

mini, aut Baptiſmum, ſed ad ipſum Chriſtum refert.

Qui locum Apoſtoli benè obſeruare velit, & extrema cum primis contexere, facilè ſentiet, in eodem verbo *νῆπε* Catachreſin metaphoram eſſe, qua planè in Iſraelitarum pœnis, tanquam in ſpeculo, oſtenditur, quales nobis plagæ expectandæ ſunt, ſi eiſdem vitijs obnoxij futuri ſumus, quibus illi. Idcirco, poſtquam varias pœnas, ob varia peccata Iſraelitis inflictas enumeraſſet, hiſce verbis concludit, *Hæc autem omnia typicè euenerunt eis, ſcripta verò ſunt ad noſtram admonitionem.* Ita planè Chryſoſtomus, *Nam ſicut dona figuræ ac typi ſunt, ita & ſupplicia. In ſignum ſunt*, inquit Aquinas, *vt conſiderantes eorum ſupplicia, cohibeamur à peccato, & non ſimus concupiſcentes malorum.* Voluit igitur Apoſtolus, vt vindictæ diuinæ exemplaria nobis ante oculos, (quaſi Loti vxor *ſtatua ſalis* effecta) proponerentur, vtq; illud ſeruatoris noſtri in cordibus hominum inſcriberetur, *Niſi reſipiſcatis, omnes itidem peribitis.* Ita hæc omnia illis in figura contigerunt.

Chryſ. in 1. Cor. hom. 23.
Aquin in Cor. 10
Luc. 17. 32.
Luc. 13. 3.

Deinde (inquit Bellarminus) *ſi confeſſio neceſſaria erat coram Dei miniſtro, quando non data erat Sacerdotibus poteſtas peccata remittendi, quis non colliget nunc magis eſſe neceſſariam, cum huiuſmodi poteſtas concedatur?* Reſpondeo; Quid huic argumento cum figuris, quod ortum ſuum habet potius à temporibus quàm à typis? Deinde, vnde, quæſo, colligat quiſpiam confeſſionem nunc magis eſſe neceſſariam, quàm ſub lege fuerat, Chriſtus enim & amanuenſes illius nihil tale in ſcripturis ſacris ſparſerunt, vnde illud colligatur. Rationem verò, quæ à poteſtate Sacerdotum peccata remittendi ſumitur, nos antea irritam fecimus. Sed, relictis hiſce typicis argumentis, ad ipſarum figurarum explicationem deveniamus. *Prima figura* (inquit Bellarminus) *habetur Geneſ. 3. & 4. Vbi Deus primum ab Adamo & Eva, deinde à Cain confeſſionem exegit.* Reſpondeo; Hic ſanè ſine controuerſia evincitur, confeſſionem peccatorum eſſe neceſſariam. Sed cui tandem faciendam? Num Sacerdoti? abſit, niſi ita argumentari velimus, Deo confitendum eſt, ergo hominibus. Imo (inquit Cardinalis) *interrogatio illa facta eſt per angelum humana forma apparentem, vt patet, ex eo quòd ambulabat in Paradiſo ad auram poſt meridiem.* Reſpondeo; primò Bellarminus ſuperi-

Cap. 20.

ore

ore capite ex Chrysostomo negat illam authoritatem angelis concedi, quam in præsenti dari arguit. Deinde nemini mirum esse arbitror, illum hoc in loco illud Angelo tribuere, quod ad Deum pertinet, vt qui toties aliquid à Deo aufert, quò angelis idem & hominibus deferat. Ex ipso contextu perspicuum est, confessionem illam Deo factam esse, non Angelo. Nec diuersum docent patres, quos citavit Bellarminus. Imo omnes apertè cõtra illum loquuntur. *Interrogat Deus*, ait Tertullianus. Chrysostomus etiam inde Dei misericordiam colligit, quòd Adamum, non solum *vocauit sed per se ipsum vocauit, non per Angelum*. Fatetur deniq; Bellarminus (qui eodem loco calidum & frigidum spirauit) *quòd exegit Deus confessionem ab Adamo*. Si Deus Adamum *vocauit, interrogauit, & ab illo confessionem exegit*, quàm ridiculè contendit Cardinalis, confessionem illam angelo factam esse? Sed quomodo dicatur Deus in Paradiso ambulare? Ostendunt Patres duplici ratione, dicentes [a] alij, quòd Christus nondum incarnatus humani cor poris specie apparuit. [a] Alij verò contextum non ad literam exponendum affirmantes, hæc ἀνθρωποπαθῶς esse dicta asserunt. Et ex eadem phrasi nihil aliud intelligi volunt, nisi hoc, quòd Deus Adami & Euæ conscientias terrore & peccatorum agnitione percutit. Deniq; non inveniri arbitror aliquem idoneum auctorem, qui de angelo hunc locum exponit.

Tertul. lib. 2. adu. Marcion. &c. *Chrysost. in Gen. Hom. 18.* [a] *Tertul. aduers. Prax.* [a] *Ambr. de parad. cap. 14.* *Chrys. in Gen. s. hom. 17.*

Secunda figura (inquit) *habetur Leuit. 13. & 14. vbi iudicium lepra solis committitur Sacerdotibus. Hanc fuisse figuram sacramenti confessionis docent Chrysostomus & Hieronymus.* Respondeo; primùm, hoc in allegorijs & figuris animadvertendum est, quòd argumenta ijsdem oriunda maxima antiquitate nitantur, dum quisq; secundùm animi sui sententiam eas interpretatur, vt ostendit Augustinus. Idcirco fatetur Bellarminus, *Quòd ex solo literali sensu peti debent argumenta efficacia.* Vnde sic disputo, sed hoc argumentum ex literali sensu non petitur: ergo Bellarmini argumentum, fatente Bellarmino, non est efficax. *Sed Patres* (inquit) *e hac allegoria confessionem concluserunt.* Bellarmini verbis respondeo; *Ex hac causa* (nempe allegorizando) *interdum grauissimos errores aliquando nonnulli inciderunt*; Quod etiam Irenæus & Hieronymus ostendunt. Et, si nullo alio exemplo ostenderetur

Chrys. de sacerd. lib. 3. *Hieron. in Mat. 16.* *De vnitat. Eccles. Cap. 16.* *Bellarm. de verb. Dei lib. 3. ca. 3.* *Bellar. vbi supra.* *Iren lib. 2. ca. 49* *Hieron. ad Pammach.*

deretur, in hujus loci argumento perſpicuum foret. Alludunt Patres ad lepram, confeſſionem vrgentes; ita tamen vt eorum
vt ſupra. nullus cum alio conveniat, aut opinioni pontificiorum faveat. Chryſoſtomus de Sacerdotio lib. 3. magnam diſſimilitudinem (ſecundùm hyperbolicam ſuam conſuetudinem) inter lepræ iudicium, & peccati cognitionem ponit; vbi tamen nullam de con-
Hieronym. in Mat. 16. feſſione mentionem facit. Hieronymus ex allegoria contra pontificios diſputat, ſacerdotes non actu remittere, ſed remiſſionem
Ambr. in pſ. 118. ſerm. 3. peccatorum oſtendere. Ambroſius verò allegoricè confeſſionem hinc requirit, ac non ſacerdoti faciendam ſed Chriſto. *Vade* (inquit) *oſtende te Sacerdoti. Quis eſt verus Sacerdos, niſi ille, qui eſt*
Beda in Luc. 5. *ſacerdos in æternum?* Beda etiam ex hac allegoria grauiorum ſcelerum ſolummodo confeſſionem exigit. Nam vt omnium morborum curatio aut cognitio ad Sacerdotes non pertinebat, ſed lepræ ſolùm. Ita Beda, non omnia peccata confitenda, nobiſcum arguit, ſed ea tantùm, quæ conſcientiam vulnerant, vel eccleſiæ ſcandalum inferunt. Quæ ſententia eſt prorſus contra pontificios, qui omnia peccata mortalia, & leuiſſimas peccatorum circumſtantias confitendas eſſe aſſeuerant. Hæc cum ita ſint, quis non planè ſentiat, illud Bellarmini veriſſimum eſſe? nempe quòd ex ſolo literali ſenſu argumenta efficacia petantur; & proinde illud, quod ex allegoria de leproſis petitur valde leproſum eſſe. Vnam Caluini reſponſionem, quam Bellarminus diluere conatur, obſeruandam ſentio. Caluinus ita argumentatur, ſi transferatur ſacerdotium, & in Chriſto impletur, tunc leges ſacerdotij; At verum eſt antecedens, ergo & conſequens. Et ex conſequenti lepræ cognitio & ſignificatio. Reſpondet Bellarminus, etſi ſacerdotium in Chriſtum ſit tranſlatum; Chriſtus tamen eodem in terris per miniſtros ſuos defungitur. At falſum illud eſt. Nam Chriſtus, vnico ſuo ſacrificio, legali ſacerdotio finem impoſuit (vt B Paulus Epiſtola ad Hebræos abundè docet) nec gradum aliquem ſacerdotalem (quod ad legalia ſpectat) Eccleſiæ miniſtris reliquit. Quod ex eo liquet, quòd nuſquam illis ſacrificio-
Hic enim appellantur nō ſpiritus, ſed ſacerdotes, quales nos ſumus, &c. rum, aut ceremoniarum legalium curam nouo Teſtamento defert, nec eos vnquam ſacerdotes appellat. Deniq; ſi tranſlatum eſſet ſacerdotium in miniſtros Evangelij, quorſum quæſo B. Paulus ita eorum munera, vt valdè diuerſa diſtinguit? *An neſcitis*

tis

tis vos, qui sacra operantur, ex sacrario edere? & qui altari deseruiunt, cum altari participare? Ita dominus constituit ijs, qui Evangelium annunciant, ex Evangelio vivere. 1 Cor 9.13.14
Postremo, si velimus judicium sacerdotum de lepra corporali, ad ministros evangelij de lepra spirituali transferendum; recognoscant pontificij, quòd sicut sacerdotes, non de occultis, sed de manifestis morbis, iudicabant: Ita Euangelij ministris de peccatis apertis iudicandum est, non de occultis, quæ confessione auriculari panduntur.

*Tertia figura est confessio, quam Deus constituit in veteri Testamento, vt Num. 5. (confitebuntur peccatum suum. Vbi duo (*inquit Bellarminus*) sunt obseruanda. Primum, illud confitebuntur esse in coniugatione Hithpael, qua auget significationem; deinde cum maiore explicatione in Hebræo habere, confitebuntur peccatum suum, vn, id est, quod fecerunt. Si in genere tantum confiteri sufficeret, non diceret scriptura, confitebuntur apertè peccatum, illud quod fecerunt, sed simpliciter confitebuntur peccata sua. In Levit. cap. 5. vbi nostra editio habet, aget pœnitentiam pro peccato, in hebræo est, confitebitur apertè peccatum, quòd peccauit.*

Respondeo; si insana illa Concilij Tridentini sanctio apud Bellarminum valeret; *Vulgatam editionem nemo quovis prætextu reijcere audeat,* deesset illi argumentum. Alter enim locus cõfessionem non meminit, alter verò particularem non requirit. Ille etiam, qui *fontes turbidos fluere* affirmat, quare tandem aquam ex eisdem ad confessionem suam irrigandam hausit? Quomodo etiam ausus est ille, prætextu explicationis, vulgatam translationem reijcere, quæ nemini quouis prætextu reijcienda est? Deinde si confessio hæc Leuitica oris erat, non cordis, sacerdoti, non Deo, in specie, non in genere; Quomodo dici potest confessionis auricularis figura? Verum enim illud est, quod habet Hieronym. *Typus partem indicat, quòd si totum præcedat in typo, iam non est typus, sed historia veritas appellandus est.* Concludit igitur Waldensis, *Christum non dedisse novum præceptum, sed antiquam consuetudinem roborasse.* Præterea Bellarminus, etsi Chimicus sit egregius, ex hisce locis confessionem particularem nunquam eliciat. Primò enim Conjugatio Hithpael significationem non semper auget, vt ex multis locis ostenderem; vti neq; hoc in loco, nisi fortassis quoad peccatorum indignationem. Verba etiam

Concil. Trid. sess 4.

Hæc enim sunt verba Bellarmini de verbo dei lib. 2. cap. 11.

Hieronim. Ost. lib. 3. Tho. walden. de sacram. cap. 139. & 143.

am hebræa, non particularem peccatorum enumerationem, ſed vnius tantùm confeſſionem poſtulant. Deinde non dicitur cui illa confeſſio facienda eſt, nec eſt probabile eandem homini factam eſſe, ſed Deo. Quod & Dominicus Soto, adhibita ratione ſua, aſſerit. *Obligare hebræos illos ad detegenda ſua ſcelera occultiſſima, niſi per ſacerdotem remitterentur, duriſſima eſſet lex.* Sacerdotes autem, vt dicunt pontificij, abſoluendi poteſtatem tunc temporis non habuerunt. Nec verba hebræa, quæ redundantiam habent hebraicam, in ſcripturis frequentiſſimam, quod vellet Bellarminus, probant. Nam, *confitebuntur peccatum, quod fecerunt*, nihil aliud, ſecundùm hebræorum dialectum, ſonat; quàm ſi ſimpliciter dixiſſet, *confitebuntur peccata ſua*, quod & phraſium ſimilium collatione patebit. Vt Gen. 2. *Et perfecit Deus in die ſeptimo opus ſuum quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab omni opere quod fecerat.* Et Gen. 3. *ſerpens erat callidior omni beſtia agri quam fecerat Dominus.* Quid plura in re cunctis (qui vel prioribus labris biblia attigerunt) notiſſima? Quam redundantiam forſitan vetus interpres obſervans vltima verba non tranſtulit.

Dom. Soto in ſent lib. 4. diſt. 2. q. 2. a. 2.

Gen. 2. 2.

Gen. 3. 1.

Præterea, exactam peccatorum enumerationem tunc fuiſſe, non ſolum improbabile, ſed impoſſibile eſſe dicam: niſi ſacerdos vno eodemq; tempore, omnia populi Iſraelitici peccata ſigillatim confiteri poſſet. Sic autem iubetur Leuit. 16. expreſſe. *Confitebitur ſuper caput hirci omnes iniquitates filiorum Iſrael.* Hic quoq; eſt coniugatio Hithpael. Idcirco Lyranus in hunc locum dicit (& rationes ſatis perſpicuas reddit) confeſſionem tunc in genere factam eſſe. *In veteri lege non omnia peccata in particulari explicabant, quia impoſſibile erat, tum propter brevitatem temporis, tum quia ſacerdos non omnia peccata populi ſciebat.* Addit Bellarminus, De Iſraelitarum conſuetudine Rabinorum teſtimonium ex Antonio & Waldenſi, qui tamen nullum authorem ad narrationem ſuam confirmandam attulerunt. Quibus & ipſe pontificiorum teſtimonia opponam. *Propoſitum confitendi non erat neceſſarium in veteri lege*, ait Cardinalis Tolletus. *Non tenebantur ſub lege omnia peccata Sacerdoti explicitè confiteri*, dicit Nic. de Orbellis. Et longè ante eos Aquinas. *In lege Moſis oportebat aliquo ſigno exteriori peccatum proteſtari: Non autem*

Leuit. 16. 21.

Lyra. in lev. 16.

Tollet inſtruct. ſacerd.

Nic. de Orb. in ſent. lib. 4. diſt. 14. q. 1.

Aquin. ſuppl. q. 6. a. 3^m.

oporte-

oportebat, vt speciale peccatum à se commissum manifestaret.

Quarta figura est Mat. 3. Vbi legimus, plurimos ad baptismum Iohannis accurrisse, confitentes peccata sua. Respondeo; Argumẽta ex hoc loco petita ad confessionem auricularem confirmandam, Iohannes Maldonatus adeo vana judicauit, vt in Commentarijs suis quærere non dubitauerit; *Quis vnquam theologus tam fuit indoctus, vt ex hoc loco confessionis probaret sacramẽtum?* Doctissimus tamen Bellarminus probare conatus est. Caluinus & Chemnitius hanc confessionem in genere factam esse dicunt: Bellarminus autem in specie factam contendit. *Nam vterq́* (inquit) *Euangelista diserte verbis posuit, confitentes peccata sua, & Græcè ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. Aliud autem est agnoscere se peccatorem, aliud peccata confiteri.* Respondeo, Hæc ratio Bellarmini, ad probandam particularem confessionem, nullas vires habet. Nam Euangelistæ hebraizantes (vt eorum mos est) idem sanè faciunt peccata confiteri, & se peccatorem agnoscere. Idcirco Dionysius Carthusianus ait, *In communi, non distincte & plenarie confitebantur.* Planiùs autem Tostatus. *Confitebantur peccata in generali, id est confitebantur se esse peccatores, quòd quilibet eorum diceret, peccator sum, & offendi Deum in plurimis.* Quæ verborum interpretatio ratione satis firma fulcitur, cùm Bellarmini expositio non sit omnino probabilis. Nam, vt [a] Raynerus verè dicit, impossibile fuisse quòd omnes solenni more aquis immergerentur cùm tria millia hominum ab Apostolo baptizati sunt: sed probabile esse, Petrum aspersione tantùm hoc fecisse. Ita dicam, multò esse probabilius cùm *Hierusalem & tota Iudæa, & tota regio circa Iordanem* ad Iohannem advolarunt, *peccata sua confitentes*, illud eos in genere fecisse, vt etiam plurimi pontificij asserunt, non in particulari, quod factu prorsus impossibile fuisset.

Maldonat. in Mat. 3.

1 Mat & Mar.

Dion: Carthus. in Mat. 3. Tostat. in Mat. 3. quæst 54.

[a] *Rayn: Pantheol. Tom. 1. cap. 1. de Baptis.*

Mat 3. 5.

Quinta figura (inquit) *habetur Iohannis vndecimo, vbi Christus Lazarum suscitat, & Apostolos solvere iubet; Ibi Patres significari dicunt pœnitentem prodire foras per confessionem, & ministerio sacerdotum liberari a peccatorum vinculis per absolutionem.* Respondeo; Caluinus tria respondendo hoc nobis negotium expediuit; cui quòd à Bellarmino obijcitur diluemus. Primum Calvini responsum est, quòd argumenta ab allegorijs non mul-

Ioh. 11. 44.

Calvin. instit. lib. 3. cap. 4 §. 5.

tùm valeant ad dogmata confirmanda quod & ipſe Bellarminus fatetur, dicens, *ex ſolo literali ſenſu argumenta efficacia petenda eſſe.*

Secundum; *Mentiri eos* aſſerit Caluinus, *qui dicunt Dominum diſcipulis præcepiſſe, vt ſuſcitatum Lazarum ſolverent.* Hic impudentiam Calvini miratur Bellarminus, *qui Auguſtinum & Gregorium mendacij arguere non veretur; illi enim dicunt.* Reſpondeo; Si Caluinus, pontificios mendacij arguendo, durius aliquid, non ex propoſito, contra errantes aliquos patres concluſerit, Illud huic vitio non eſt vertendum, ſed pontificiorum protervitati, qui patrum nævos ad malæ cauſæ defenſionem arripiunt, tribuendum. Dicunt Auguſtinus & Gregorius, Chriſtum hæc diſcipulis dixiſſe: Et tamen alibi,[c] Auguſtinus diverſum docet, nempe *Miniſtris hoc dixit Dominus.* Dicit etiam Chryſoſtomus, *dixit Iudæis.* Sed Bellarminus Caluini argumentum deſiderat, cùm tamen ille duo protulerit. Primum, *nuſquam legitur hoc dixiſſe Dominum diſcipulis*, & fatetur Bellarminus, quòd *ex Evangelio non poſſit certò colligi.* Nec quenquam arbitror, locum ſatis conſideratè intuentem, dubitare, quin Chriſtus hæc aſtantibus dixerit, cùm de illis, non diſcipulis tota præcedens hiſtoriæ ſeries meminerit. Idcirco qui Chriſtum hoc diſcipulis dixiſſe fidenter aſſerit, ſaltem temeritatis arguendus eſt.

[c] *Auguſt. in Ioh. tract. 49. Chryſ. contra Iudæos, gentiles & hæret.*

Alterum Caluini argumentum eſt. *Multò veroſimilius dixiſſe Chriſtum Iudæis aſtantibus, quò citra fraudis ſuſpicionem evidentius fieret miraculum.* Hæc eſt ratio, non Calvini ſolùm, ſed etiam Chryſoſtomi, qui non immeritò quærens, *quare Chriſtus ipſe hydrias aqua non impleuit, & quare Lazarum faſcijs ligatum non ſolvit, ſed aſtantibus & miniſtris ea peragenda reliquit*, ita reſpondet, *vt ſi negent, manus eorum & oculi redarguant ipſos.* Ianſenius quoq; ait, *Aſtantibus iubet eum ſolvere, vt hi etiam tactu probarent miraculi veritatem.* Sed hoc Caluini argumentum, vt nimis ponderoſum, Cardinalis ablegandum conſultò putauit; quaſi etiam ſatis foret nudas Auguſtini & Gregorij ſententias contra ipſum Auguſtinum, Chryſoſtomum, & Chryſoſtomi rationem proferre. *At nihil refert*, inquit Bellarminus, *vtrum Apoſtoli an alij quidam Lazarum ſolverint.* At quare nihil refert? Certè quia probari non poteſt. Aliter verò, vt abſolutio in ſola ſacerdo-

Chryſoſt. vbi ſupra.

Ianſen. Concord. in Euangel. cap. 102.

ſacerdotum manu,& ditione poneretur, valde eſſet conſentaneum,ſolos ſacerdotes Lazarum faſcijs ligatum ſoluiſſe.

Tertium Caluini reſponſum eſt alia allegoriæ explicatio, quam,vt non ſatis acutam ſed palato Bellarmini inſipidam, ille reijcit. Quaſi & Caluino non tam fas eſſet,atq; alijs, allegorias explicare.

Sed fortaſſis dicent pontificij, etſi patres confeſſionem tantum allegoricè probant:tamen ex eorum ſententia conſtat eos putaſſe eandem eſſe neceſſariam. Quibus reſpondeo; primò quidem patres, locis ab aduerſario citatis, nullam confeſſionis mentionem faciunt. Deinde hoc notandum eſt,quòd,etſi patres confeſſionem alijs locis vrgeant,non tamen auricularem,ſed vel conſolatoriam illam,quâ conſcientiæ hominum, terrore ſcelerum quaſi vinculis conſtrictæ,releuantur; Vel diuinam, vt Ambroſius;*Nouit omnia Dominus,ſed expectat vocem tuam.* Vel ſatisfactoriam,pro grauiore aliquo crimine aut ſcandalo,aduerſus eccleſiam commiſſo,vt Auguſtinus; *Eſt pœnitentia grauior atq; luctuoſior,in qua proprie vocantur ex eccleſia pœnitentes,remoti etiam à ſacramentis,&c.* Fruſtra igitur Patres (vt affatim etiam poſtea patebit) ad confeſſionem clancularem confirmandam adducuntur. *Irenæ. Auguſtin.* *Ambroſ. de pœnit. lib. 2. cap. 7.* *Auguſt. hom. 50.*

CAP. 4.

Quatuor ſcripturæ teſtimonia,ad confeſſionem ſtabliendam, fruſtra adducuntur; nempe

- Act. 19. 18.
- 2. Cor. 5. 18. 20.
- Iacob. 5. 16.
- 1. Ioan. 1. 9.

HActenus egit Bellarminus de Confeſſionis inſtitutione, & figuris *quæ inſtitutionem præceſſerunt: nunc de vſu,commendatione,atq; exhortatione, quæ* (vt ait) *inſtitutionem conſequuta ſunt.*

Primus locus habetur Act. 19. Multi credentium veniebant confitentes,& annunciantes actus ſuos: Multi autem ex eis, qui erant curioſa ſectati,contulerunt libros,& combuſſerunt coram omnibus. Bellarminus ex hoc loco tres concluſiunculas contexit; *Primam; Hic locum accipiendum eſt de confeſſione fidelium poſt baptiſmum.*

tissimum. Illi enim propriè dici solent credentes. &c. Respondeo primò ad tertiam, & eandem veram esse concedo, nempe *Agi hoc loco de confessione facta, non solum Deo, sed etiam homini.* Ad primam autem aliter. Nam quod Bellarminus pro fundamento posuit, non est vero consonum. Quomodo enim probat pœnitentes hosce baptizatos fuisse? Illud enim nego, etiamsi ille adversarios non negaturos asserat. Nec ego solus, sed mecum [a] Beda venerabilis. Et omnino probabile est, hosce, si antea baptizati essent, curiosis suis artibus adhærere postea noluisse. Idcirco Lorinus; *Christianos neophytos tam citò revertisse, libros q, id argumentum continentes, habuisse, ac trivisse, vix mihi persuadeo.* Deinde vehemens eorum mutatio, & librorum combustio arguit eos, terrore subitaneo, in ipso conversionis articulo perculsos, confessos esse. Ratio etiam Bellarmini infirma est, *Baptizati propriè dici solent credentes, vt patet* Act. 3. 4. & 5. & 1. Thes. 1. Ibi enim, quod est quæstionis caput, non patet, nisi hinc ita disputare placeat, *Baptizati dicuntur credentes, ergo soli baptizati.* Cuius contrarium scripturâ sacra patet. Nempe multos, qui nondum baptizati sunt credentes propriè appellari. Nam vt Abraham primò credidit, deinde *accepit signum circumcisionis*: Ita multi crediderunt, & postea baptizati sunt. Act. 8. dicitur, eos, *quos Simon Magus dementasset, postquam credidissent, baptizatos esse.* Nec Eunuchum antea baptizauit Philippus, quàm fidem suam professus esset. Mos etiam in Ecclesia fuit antiquissimus, vt baptizandis interrogatio illa proponeretur, *Credis tu?* Qui respondentes *credo*, baptizati sunt. Imo tantùm abest, solos baptizatos dici credentes, vt certum sit, neminem, nisi vel per se credentem, vel parente fideli oriundum, sacri baptismatis fieri posse participem. Deniq; Bellarminus in verba illa Marci, *qui crediderit, & baptizatus fuerit saluabitur, dicit, Hoc loco fides præcedit Baptismum.* Idcirco si Bedæ venerabilis auctoritas, aut rei ipsius probabilitas, aliquid valeat, hæc confessio non fuit baptizatorum, & ex consequenti non fuit sacramentalis. Lutherum adoritur Bellarminus, qui per actus suos, eorum intellexerit miracula, Illud etiam Cardinalis dicit *inauditum vt miracula dicantur actus nostri, cùm sint opera planè divina.* Etsi Lutheri expositionem non defendam, Bellarmini tamen rationem nimis infirmam esse contendo. Nonne liber

hæc enim est tertia conclusionis.

[a] *Beda in Marc. lib. 1. cap. 2.*

Lorin. Act. 19.

Rom. 4. 11.

Act. 8. 12.

Act. 8. 37.

Mar. 16.

Bellar. de sacra. in genere. lib. 2. cap. 3.

ber ipſe, qui multa miracula continet, Actus Apoſtolorum inſcribitur? Nec abſurdum aut inauditum eſt, Apoſtolos *Actus ſuos*, quos per eorum manus Deus operatus eſt, recenſere. Luc. 10. 17. Act. 14. 27. & 15. 4.

Secunda Bellarmini concluſiuncula; *Loquitur Scriptura de confeſſione peccatorum in ſpecie, vt ex illis verbis colligitur confitentes actus ſuos. Nemo enim dici poteſt confiteri actus ſuos, qui ſolum ſe dicit eſſe peccatorem. Deinde vox annuncio, & græcè ἀναγγέλλω, & vox* Syriaca ܡܢ *numerare ſignificant. Deniq́, vnde cognoviſſet B. Paulus illos fuiſſe curioſa ſectatos, adeo vt libros eorum comburi iuberet, niſi in ſpecie peccata ſua confeſſi eſſent?* Reſpondeo; Illa verba, *confitentes actus ſuos*, conſeſſionem particularem non evincunt. Ille enim, qui peccata ſua confitetur in genere, actus ſuos, hoc eſt quòd multa mala egit, narrat. Vt Dauid Pſalmo. 40. *Iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei.* Hìc pſaltes actus ſuos annunciat, nec tamen in ſpecie. Deinde nec vox latina annuncio, græca ἀναγγέλλω, Syriaca ܡܢ recenſionem particularem exigunt, quæ voces pro narrare ſæpiſſime, pro numerare autem rariſſimè, ponuntur. Pſal. 40. 12.

Reſpondent præterea Caluinus & Chemniſius, *quòd ſi in ſpecie, aliqua peccata confeſſi ſunt, non tamen omnia. Sed hoc repugnat totis ſcripturæ*, inquit Bellarminus. *Vbiq́, enim Scriptura, cùm abſolutè de peccatis loquitur, de omnibus peccatis intelligi ſolet & debet: vt Dan. 4. 24. Mat. 1. 21. Quare, ſecundum vſum Scripturæ, confiteri & annunciare actus ſuos nihil poteſt eſſe aliud, niſi confiteri omnia ſua peccata.* Reſpondeo; Regula Bellarmini, vnde argumentum ſuum deſumpſit, non eſt ſana. Multa enim loca ſunt, vbi ſcriptura de peccatis abſolutè loquitur, quæ tamen de omnibus peccatis intelligi nec debent, nec poſſunt. 1. Tim. 5. Apoſtolus dicit, *quorundam hominum peccata ante manifeſta facta ſunt.* Dicetne Bellarminus hic eorum omnia manifeſta fieri? Deinde eſt maxima diſcrepantia inter confeſſionem, & condonationem peccatorum. Nam licèt, vbi Deus vnum peccatum condonat, condonet & omnia: Tamen dici non poteſt, vt quando aliquis confitetur vnum peccatum, confiteatur & omnia. *Si confitemur peccata noſtra, Deus fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata.* Abſit vt dicamus, peccata vtroq; loco eiuſdem eſſe latitudinis, Deus poteſt omnia remittere, at quis poteſt omnia recenſere? 1 Tim. 5. 24. 1 Ioh. 1. 9.

censere? Iuxta illud *delicta quis intelligat?* Deniq; differunt vel maximè hę voces, *peccata*, & *actus*; Adeo vt, si *peccata*, locis omnibus indefinitè posita, vniversaliter accipienda essent: Non ita tamen, *πεξεις, actus*. Si in re dubia conjecturam adhibere licet, quæ peccata potius (si in specie vlla recensebant) verbis confiteri putentur, quàm quæ factis se odisse ostendunt? Scilicet curiosas artes; nam libros comburunt. Imo ipsa series contextus hoc evincere videtur. Nam postquam Evangelista dixisset, *ἀναγιλλοντες τὰς πεξεις αὐτῶν*, addidit statim *μείζονα πεξαιλον*; quasi de industria ostendens, quales illi actus confessi sunt. Ita particularis hæc omnium peccatorum confessio in vnius tantùm cõfessionem evanuit. Postremò, Hisce Bellarmini conclusiunculis Andreæ Vegæ, pontificij non indocti, sententiam opponam.

Psal. 19. 12.

And. Vega. de Iustificat. lib. 13 cap. 28.

Verba ex altibus referri possunt ad confessionem quandam in genere, quæ sicut tempore Iohannis ante baptismum ipsius; Ita tempore quoq; Apostolorum, à suscipientibus Christi fidem, fiebat, antequam daretur eis baptismus.

Sunt, præter hæc argumenta, quædam Calvini antitheses, quas Bellarminus nullo se negotio dissoluturum promittit. Prima, *Hos semel legimus confessos esse, Papa lex quotannis, vt minimum, repeti iubet.* Hinc Bellarminus regerit; *Etiamsi semel legamus Ephesios illos confessos: non tamen sequitur, non sæpius id ab eis factum.* Respondeo; primò forsitan igitur Canones pontificiorum novitij Ephesiis regulam struxerunt; & legem illis imposuerunt. Deinde non satis est ad confessionem clancularium confirmandam, eos fortè sæpius venisse. Sed hæc est Cardinalis argumentatio, qui Caluini dialecticam iocatur. Forsitan sæpius venerunt, ergo sæpius venerunt. Deniq; valdè est probabile, eosdem sæpius non esse confessos, cum eadem non fuerit occasio. Videmus ferè omnes longè aliter se gerere in ipsa conuersione, atq; postea in conuersione. Vt aqua, cùm primùm ignis fervorem sentiat, vehementer ebullit, non ita tamen postea. Claudum illum, quem sanauit Petrus, statim à sanitate restitutâ ambulasse, saliuisse, & insiliuisse legimus. Nemo (vt opinor) putabit illum postea sic fecisse, Ita hosce nouiter conuersos, scelerum conscientia agitatos, peccata sua mira cum indignatione confessos esse, cui mirum est? at eosdem postea confessionem repetijsse,

Act. 3. 8.

non

non est omnino probabile.

Secunda Calvini antithesis. *Fuit hæc confessio spontanea.* Cui Bellarminus; *Quòd sponte venerunt ad confessionem mirum videri non debet; quia tunc nulla fuit lex de confessione certo aliquo tempore facienda.* Respondeo; Ratio Calvini non leuis est. Nam hæc magnopere differunt, sponte aliquid & legis coactu facere. Si lege vlla astricti de quouis tempore, confessionē facienda veniſſent, confessio eorum spontanea non fuisset. Num dicet Bellarminus confessionem pontificiam esse spontaneam? Quis adeo demens esse poterit, vt putet, hosce rerum diuinarum rudes virtute alicujus præcepti, non dico temporis, sed cuiuscunq; veniſſe? Aut non potius videat eos, propter conscientiæ terrorem, sponte hoc feciſſe? Nemo est omnium, qui confessionem illam spontaneam damnabit.

Tertia Caluini Antithesis. Multi venerunt, non omnes. Cui Bellarminus; *Multos veniſſe non omnes, quid habet repugnantiæ cum ea lege, quæ iubet vt omnes quotannis peccata sua confiteantur?* Respondeo; Tantum habet repugnantiæ, quantum multi & omnes. Certè lex quæ jubet omnes venire, eos, qui non veniunt, culpat. Idcirco, vel eos sponte veniſſe qui venerunt, vel alios peccaſſe qui non venerunt, fatendum est. *At lex*, inquit Bellarminus, *neq; omnes absolutè includit, sed omnes, qui conscientiam habent peccati lethalis. Neq; istos quovis tempore obligat sed tantùm semel in anno.* Respondeo; At omnes illi credentes conscientiam lethalis peccati habuerunt, aut prorsus nullam habuerunt conscientiam. Quare igitur non venerunt omnes? Certè nulla alia est ratio, nisi quòd eorum quisq; conscientiam turbatam nō habuerit. Præterea legem illam ecclesiasticam experientia quotidiana refellit; omnes enim quotannis venire coguntur, etiamsi peccati lethalis conscientiam non habeant.

Quarta Calvini antithesis. *Illi se humiliaverunt coram cœtu fidelium, confessio in papatu est clanculeria.* Cui Bellarminus: *Hoc ex capite suo deprompsit Calvinus. Vtrum autem privatim, aut coram cœtu fidelium venerint, Lucas non narrat.* Respondeo; Ex capite suo Bellarminus deprompsit, quod in secunda conclusiuncula posuit, Nimirum *Paulum eos iubere libros suos comburere.* Calvinus verò hoc non deprompsit ex suo Capite, sed potius ex

ſacro codice, nam cùm Lucas dicit eos coram omnibus libros combuſſiſſe (quo facto & pietatem & pœnitentiam oſtendebant) num credibile eſt, eoſdem peccata ſua in aurem Pauli obmurmuraſſe? Imo voces illæ ἐξομολογῶν & ἀναγγέλλων eorum confeſſionem publicam eſſe teſtantur. Nam ἐξομολογεῖσθαι ſignificat *foris fateri: ἀναγγέλλειν palam & publicè denunciare*, vt Lorinus rectè obſeruauit. Caietanus igitur ingenuè fatetur, *Sua proculdubio in genere confitentur, aut publicè. Neutra enim fuit confeſſio ſacramentalis.* Eccè quàm planè Cardinalis Cardinali, nec leuiter, ſed adnibita voce proculdubio, opponitur.

Lorin in locum.
Caietan. in h. locum.
Fra. 1. Rauſin. de Pœniten. ſer. 7.

Secundus locus eſt, 2. Cor. 5. Dedit nobis miniſterium reconciliationis, & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis, pro Chriſto igitur legatione fungimur, &c. Hæc verba (ait Cardinalis) *ad poteſtatem clavium pertinere fatetur Iohannes Calvinus, &c.* Reſpondeo Caluinus certè agnoſcit, hæc verba ad claues pertinere. Sed ad quas tandem? Num diſciplinæ? Imo locum iſtum de verbo tantùm & ſacramentis intelligendum Caluinus piè & planè docet; cujus hæc ſunt verba. *Ergo in ſanctorum communione, ipſius eccleſiæ miniſterio, nobis aſſiduè remittuntur peccata, cùm Preſbyteri vel Epiſcopi pias conſcientias, evangelicis promiſſionibus, in ſpe venia & remiſſionis confirmant.* Et dico apertè, qui negauerit illa verba de verbi prædicatione eſſe intelligenda, Scripturis, Patribus, & etiam pontificijs erit adverſarius. Per verbum enim reconciliationis non poteſt aliquid meliùs intelligi, quàm verbum exhortationis. Id enim verba immediatè ſequentia, *Hortamur Chriſti nomine, reconciliamini Deo*, manifeſtò euincunt. Rectè igitur Ambroſius; *Pro Chriſto Vicarios dedit Apoſtolos, vt pro ipſo prædicarent reconciliari Deo.* Nec ſolus Ambroſius ita exponit. Nam varij ſunt qui verbũ reconciliationis [a] *Evangelium*, [b] *doctrinam Evangelij*, [c] *verbum Evangelij* interpretantur. Lyranus deniq; hunc locum, per illa verba Marci vltimò expoſuit. *Euntes in mundum vniverſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed quid ego plura teſtimonia, in re tam manifeſta, congererem? præcipuè, cùm alibi ipſe Bellarminus *per verbum reconciliationis concionem* (non confeſſionem) *intelligi fateatur.*

Calvin. Inſtit. l. 4. cap. 1. §. 22.
Heb. 13. 22.
Ambroſ. in 2. Cor. 5.
[a] *Hugo Cardin.*
[b] *Cl. Guilland.*
[c] *Haymo in loc.*
Bellar. de Rom. pontif. l. 1. c. 13.

Hæc verò vt melius intelligantur; quomodo lites inter Deum

&

& hominem contigerunt,& qua ratione componendæ ſunt, operæ pretium erit obſeruare. Neminem lateat, Adami defectione, ipſius poſteros inimicos Dei factos, Chriſti obedientiâ in gratiam redijſſe. *Nam cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per mortem filij ſui.* Deus igitur pacis, litè ſic per filium ſuum compoſita, gratiam & pacem omnibus, per miniſtros ſuos verbum prædicantes, offert. [a] *Et in cordibus eorum inſpirat, vt annuncient mundo, hanc reconciliationem factam eſſe per Chriſtum.* Et quò huius pacis homines fiant capaces fidem & pœnitentiam poſtulat, quod non ſolùm ex ſcriptura ſacra, ſed etiam aliorum ſcriptis apparet. *Poſuit in nobis verbum reconciliationis, id eſt*, inquit Lombardus, *prædicationem fidei, per quam reconciliantur homines Deo. Dedit doctrinam euangely* (dicit Haymo) *adhortans per nos, homines ad credendum. Deo reconciliabimur* (vult Hofmeiſterus) *ſi à vitijs nobis temperamus, & virtuti ſtudemus.* Ecce vim veritatis, quæ horum verborum expoſitionem ſanam, è viris vix ſanis extorſit, & extruſit. Hoc etiam auſim affirmare, nullos, vel apud Patres, vel ſcholaſticos eſſe, quorum huius loci expoſitiones confeſſioni clancularię vllo modo faueant. Omnes enim, quaſi vno ore, aſſerunt, per verbi prædicationem, ad fidem & pœnitentiam excitantem, nos hanc reconciliationem conſequi, non per confeſſionem. Nec arbitror Bellarminum, ex hoc loco argumentum ſumere voluiſſe; niſi in Caluini verba, non benè intellecta, incidiſſet. Præterea ſtudet Bellarminus, ex hac metaphora legationis, confeſſionem ſuam ita ſtabilire. *Legati, qui mittuntur cum poteſtate reconciliandi inimicos regis cum ipſo rege, non poſſunt rectè ſuo munere defungi, niſi cognoſcant ex ipſis reis, quid egerint, quàm graviter regiam maieſtatem læſerint, quam ſatisfactionem perſoluere ſint parati, &c.* Reſpondeo; non poteſt Cardinalis grauiter ſuo munere defungi, niſi conſuetudines humanas, & diuinas egregiè violauerit. Etſi in multis magna ſit differentia inter vias hominum & Iehovæ: In hac tamen re benè conuenit. Quotus enim quiſq; eſt, qui non benè norit, in more apud reges & imperatores poſitum eſſe, deficientibus per legatos ſuos, diplomatum ſuorum beneficio, vitam & veniam pollicentes, non ad confeſſionem facinorum, ſed ad defectionis deſertionem eos reuocare? Et eodem planè modo agit ſummus ille imperator

Rom. 5.10. 2.Cor. 5.19.

[a] Apud in 2. Cor. 5.

Lombar. Haymo. Hofm. in hunc Locum.

Iſa. 55.8.

tor in legatione sua cœlesti. Nam à deficientibus facinorum suorum enumerationem, legatis suis faciendam, non requirit: sed vt arma nequitiæ deponant, & Deo in posterum obsequantur. Hoc legatus ille antiquus ostendit: *Si improbus conversus ab omnibus peccatis quæ fecit, observabit statuta mea, & ius & institiam exercebit, omnino non morietur.* Ita etiam Apostolus legati officium, non in confessionibus audiendis, sed in exhortationibus adhibendis, præsenti loco constituit.

Rom. 6. 13. 19.

Ezech. 18. 21.

Tertius locus habetur Iacobi 5. Confitemini alterutrum peccata vestra. Qua cohortatio, inquit Bellarminus, *satis apertè indicat, confessionem iam tum fuisse institutam, & satis apertè coheret hæc sententia cum superioribus verbis, secundùm catholicorum explicationem. Nam paulo ante Apostolus monuerat ægrotos, vt presbyteros accerserent, à quibus oleo sancto cum precibus vngerentur, & adiecerat effectum illius sacræ vnctionis & precum; futurum vt ægrotus sanaretur, & si in peccatis esset, ea illi remitterentur.* Respondeo; Hæc explicatio Bellarminiana (vt Bellarmini verbis vtar) *Nihil est mirum, si nulli veterum patrum in mentem venerit, cùm ineptissima sit.* Et quorsum quæso Apostolus, secundùm pontificiorum dogmata, post extremam vnctionem confessionē inserret? Nam cùm cætera sacramenta per accidens peccata tollant; *Extrema vnctio per se & proprie hoc facit,* vt dicit Bellarminus. Hæccine est apta verborum explicatio, post remissionem perfectam, vrgere confessionem? Idcirco, cùm translatio vulgata hæc cum superioribus conjungit, Catherinus catholicus censuram suam ingenuè, aduersus translationem vulgatam, & Bellarmini explicationem, adhibuit. *Græca lectio, multò verior, non habet, ergo, nec aptè quidem inferitur, quia hoc præceptum non rectè educitur ex superius dictis.* Alij etiam pontificij coniunctionem illam merito reijciunt. *Obijcient adversarij,* inquit Bellarminus, *quòd illa particula alterutrum mutuam confessionem arguit, non igitur sacramentalem, quæ fit soli sacerdoti. Sed hæc obiectio,* inquit facile solui potest. *Nam Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Bernardus hunc locum de confessione, quæ fit sacerdoti, simpliciter accepisse videntur. Præterea Hugo de S. Victore, & Beda rectè docent, quòd illa voces alterutrum, & invicem accipiendæ sunt, prout exigit*

Bellarm. de extrem. vnct. lib. 1 cap. 8.

Caherin. in Iacob. 5.

Vt Arias Montan. &c.

Origen. in Lev. hom. 2.

Chrys. de sacerd. lib. 3.

August hom. 12

Bernard. Med. cap. 9.

exigit verborum consequentia scripturæ. Itaq́, confitemini alterutrum, nihil aliud est, nisi cõfitemini homines hominibus. Vt illa verba 1. Pet. 4. hospitales invicem sine murmuratione. Vnusquisq́ sicut accepit gratiam, &c. Non significant, omnes ab omnibus sine discrimine hospitio recipi, aut doceri aut curari, &c. Respondeo; 1. Pet. 4. 9. 11. Cap. 6.

De Origene postea dicturi sumus. Chrysostomus verò & Augustinus hunc locũ de confessione, quæ fit simpliciter sacerdoti, nec accipiunt, nec accipere videntur, vt manifestum erit loca patrum intuenti. Et licèt suppositius ille [a] Bernardus ita accipiat nõ tanti est, vt ex illius authoritate ita esse concludatur. S Augustinus sanè, Polydorus Virgilius, & frater Hanibal Rosselus, de fraterna confessione hunc locum intelligendum docent. Idem etiam Rosselus cum lem comparat cum Mat. 5. 12. & 18. vbi idem officium sine controuersia tractatur. Ad verbum ἀλλήλων quod attinet, vix vllus locus reperiri potest, vbi idem sine reciprocatione ponitur. Iesuita enim in illo Petri veteratoriè agit & inconsideratè. veteratoriè, dum tres totos versus ita conjungit, quasi in illis omnibus vox ἀλλήλων esset; Ita vt, si eisdem vocis reciprocatio vrgeretur, curandos medicos ab ægrotis, & doctos ab imperitis erudiendos concluderet; cum illa vox sit vno tantum versu φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους, &c. Inconsideratè, dum erga pauperes tantùm hospitalitatem illam exercendam autumat. Nemo enim est omnium, qui ignorat, mutua tunc temporis hospitia fuisse, etiamsi, frigescente charitate fraterna, eadem obsoleverint diversoria, in cauponas mutata sint. Præterea, si illæ voces, alterutrũ & inuicem, sint ita accipiendæ, vt consequentia verborum scripturæ postulat, certè mutuam hîc requirunt confessionem. Nam sicut oratio pro invicem precationes mutuas complectitur, ità etiam confessio. Vnde si fit solius laici sacerdoti confiteri, solius erit laici pro sacerdote orare. Ita enim verba in contextu sequũtur. ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων. Sed orate pro inuicem id significat, inquit Bellarminus; non vt infirmi pro Presbyteris orent. Veriùs autem Hugo Cardinalis; *Oret confessor pro confitente, & è contra.* Sed quare hic infirmi pro Presbyteris orare non iubentur, sed Presbyteri pro infirmis? *Nimirum,* (ait Bellarminus) *quia Iacobus respicit ad id quod antea dixerat, infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros ecclesia, & orent su-*

[a] *Meditat. quæ Bernard. nomine circumferuntur non sunt illius vt apparet ex editione 1. anno. 1576.* *Aug. in Iob. tract. 59.* *Pol. Virgil. de Invent. 6. 1.* *F. Han. Rosel. de sacr. lib. 9. dist. 9 cap. 7.* *1. Pet. 4. ver. 9.*

Hugo Cardin. in hunc locum.

per eum. Sed quomodo illud probatur? *Illud indicat* (inquit) *lectio græca, quæ, vbi nos habemus orate pro invicem vt salvemini, habet vocem* ἰαθῆτε, *quæ ad sanitatem corporis propriè refertur.* Pig. Hierar. Eccles. l. 5. c. 3. Respondeo; Illud Pighij hìc in mentem mihi venit, qui scripturas sacras *plumbeam regulam appellat.* Nec omnino mirum est, illas à pontificijs ita vocari, qui tam miserè eisdem abutuntur. Nam cum extrema vnctio (ipsis pontificijs fatentibus) versu præcedente absoluitur; hìc etiam confessio sacramentalis tractatur; quàm ineptè agit Bellarminus, qui sanitatem, ex confessione & oratione prouenientem, ad vnctionis tractatum adeò remotum refert? Contradictionem etiam suam mecum recognoscat Cardinalis, qui, Chemnitium sugillans quoniam ille ex hoc verbo ἰαθῆτε sanitatem corporis vnctionis effectum esse colligit, sic loquitur; *Præterea, illa etiam vox, nempe* ἰαθῆτε, *hoc loco accipitur pro salute animæ.* Hìc autem dicit; *vox* ἰαθῆτε *ad sanitatem corporis propriè refertur.* Vnde Regis serenissimi censura vel maximè probatur; nempe, *Bellarminum, quotiescunq; graviori aliqua obiectione premitur, qua ipsum vellicet, & pungat; nihil morari, nec meminisse, vtrùm argumenti solutio doctrinæ suæ alibi tradita sit contraria. Dummodo ei pro tempore inseruiat, & effugio esse possit, quò præsentem procellam declinet.* Nam qui hoc in loco, ἰαθῆτε ad sanitatem corporis (propter confessionem auricularē) refert, altero illam vocem, pro salute animæ (propter extremam vnctionem) accipiendam affirmat. Videat deniq; , si placet, Bellarminus suorum de hoc Iacobi loco iudicium. *Aliqui dicunt,* ait [a] Antonius Andræas, *sacramentum pœnitentiæ per Iacobum Apostolum institutum esse; sed illud non reputo verum. Non enim Apostolus Iacobus intendebat sacramentum instituere, sed nos ad humilitatem & charitatem inducere.* Et cum eodem Michael de Palatio consentit, dicens; *Neq; consentaneum videtur, illis verbis confitemini alterutrum &c. confessionem Iacobum promulgasse.*

Bellar. de extr. vnct. lib. 1. ca. 3.

Apologia pro iuramento fidelitatis.

[a] Ant. Andr. in sent. lib. 4. d. 17. quæst. 1.

Mic. de Palat. in sent. lib. 4. dist. 17. disp 5 & alios ille plures eo loci citat.

Quartus locus habetur (ait Bellarminus) *1. Iohannis, 1. Si confiteamur peccata nostra, Deus fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. Ex hoc loco,* inquit, *probabiliter colligitur confessio sacramentalis.* Respondeo; Nisi Cardinalis fuisset Thrasyllo furioso similis, qui naues omnes ad littora adductas suas esse putavit

Æsian var. hist. lib. 4.

vit, non istum locum pro confessione clancularia adduxisset. Nam ex eo confessio, quæ Deo fit, colligitur, auricularis potius confutatur, vt verba vltima perspicuè ostendunt. Illi enim confitemur, *qui fidelis est, vt remittat peccata nostra*, hoc est Deo. At si de confessione sacerdoti dicta essent, dixisset Apostolus, *fidelis est sacerdos, vt remittat nobis peccata*. Hanc autem responsionem Bellarminus tribus rationibus refellere conatur. Prima; *Huic confessioni additur promissio; at promissio de remittendis peccatis ijs, qui confitentur Deo peccata sua, non videtur vlla extare in diuinis literis. Extat autem promissio apertissima ijs, qui ad sacerdotes accedunt, quibus dictum est; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Respondeo; Non mirum est, Bellarminum nullam promissionem vidisse, cùm *videntes videbunt & non videbunt*. Ille autem Mat. 13. 14. in hac sua ratione duo malà commisit, de quibus Propheta loquitur. *Reliquit enim scaturiginem aquarum perennium, & effodit sibi suisq; cisternas fractas*. Aquarum scaturiginem reliquit, negando promissionem, de remittendis peccatis extare ijs, qui Deo confitentur. Et hoc adprimè notandum; vti apud veteres, nomine exomologesis, non intelligi solam confessionem, sed etiam contritionem vt ipse Bellarminus dicit: Ita proculdubio hęc Iohannis ἐξομολόγησις totam pœnitentiam complectitur. Nudæ enim confessioni venia nusquam promittitur. At verè pœnitenti, & confitenti extant in diuinis literis promissiones luculentissimæ. Qualis illa Leuit. 26. 40. 41. Et illa Proverb. 28. 13. *Qui abscondit scelera sua non prosperabitur. Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Quibus etiam promissionibus, & preces, & praxis sanctorum conueniunt. Salomon enim orat, vt Deus illis confitentibus misereatur. Dauid etiam dicit, *Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei*. Rectè igitur Ferus in hunc B. Iohannis locum: *Deus promisit pœnitenti veniam*; ad hujus explicationem citat verba Ezechielis, *Cùm improbus conversus ab omnibus peccatis suis, quæ fecit, obseruabit statuta mea, & exercebit ius & institiam, omnino viuet*. Suadetq; vt cum Dauide Psal. 51. Deo confiteamur. Rectè Hugo Cardinalis; *Fidelis est vt impleat quod promisit Isaiæ 30. Si reuertimini & quieseitis salvi eritis*. Rectè Lyranus, *Fidelis est &c. sic enim promisit Mat. 3. pœnitentiam*

Bellar. huius libri cap. 6.

1. Reg. 8. 47.

Psal. 32. 5.

Ezech. 18. 21.

Hugo Cardin. in hunc locum.

Lyr. in hunc locum.

tentiam agite. Ecce hìc promiſſiones multas extare videat, atq; ex ſuis diſcat Bellarminus. Deinde effodit ſibi ciſternas fractas, dum aſſerit, *quòd homini confitentibus extet promiſſio apertiſſima,* cùm omnino nulla extat. Nam illa verba Ioh. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,* nec confeſſionis mentionem faciunt, nec illam omnino reſpiciunt, vt ſupra [a] oſtendimus.

[a] Cap. 2.

Secunda Bellarmini ratio; *Si hoc loco promitteret Apoſtolus remiſſionem ijs, qui Deo confitentur peccata ſua, fruſtra dictum eſſet à Chriſto Apoſtolis, quorum remiſeritis peccata, illis remittuntur. Nam cum facilius ſit Deo quam hominibus confiteri, nemo eſt, qui ab hominibus remiſſionem quæreret, ſi ſoli Deo confitendo remiſſionem obtinere poſſet.* Reſpondeo; Negatur conſequentia. Etſi Apoſtolus remiſſionem ijs promiſit, qui Deo confitentur; non fruſtra tamen Chriſtus dixit, quorum remiſeritis &c. Non fruſtra enim cauſa inſtrumentalis cum agente principali concurrit. Deus fidem infundit, & tamen verè dixit Apoſtolus. *Fides ex auditu eſt.* Vtq; peccatores Deo confiteantur, & verè pœnitentes fiant, quo peccata eorum remittantur, opus eſt miniſterio verbi. Videmus etiam quorundam conſcientias ita affectas & afflictas eſſe, vt non niſi auxilio miniſtrorum fidelium erigantur, nec ad Deum accedant. Et quid detrimenti ad Chriſtianam rempub: accedere poſſet, ſi (exceptis offenſionibus fraternis, & ſcandalis publicis) nemo niſi ſoli Deo confiteretur? At Deus bone quò tandem evadet pontificiorum audacia, qui remiſſionem è Dei manibus prorſus eripiunt, vt hominibus imperitiantur.

Rom. 10. 17.

Tertia Bellarmini ratio; *Si quem Sacerdos non abſolutum eſſe iudicaret, & peccatum eius retineret, fruſtra id faceret, ſi per confeſſionem Deo factam abſolveretur. Quocirca nec vera eſſet illa ſententia, quorum retinueritis retenta ſunt.* Reſpondeo; Vt non omnes in foro cœli abſolvuntur, quos Sacerdos in foro mundi abſolvit: Ita non omnes proculdubio in peccatis ſuis tenentur, quos idem errans vel iracundus retineret. Nec aliquid inde abſurdi ſequitur. Deus qui incaſſum maledictionem iniuſtam reddit, verè pœnitentem, vel inuito ſacerdote, abſoluit. Et vera tamen erit illa ſententia, quorum peccata retinueritis retenta ſunt. Vſitatè enim nemini peccata remittuntur, niſi quibus Sacerdotes remittant. Illis etiam retinentur, quos ijdem vinculis retineri

Pſal. 109. 28.

pa-

patiuntur. At iſte cœcus error Bellarmini eſt; qui per ſolam abſolutionem peccata confitenti remitti arbitratur, cujus nulla in ſcripturis ſacris mentio reperitur. Alij igitur, quod Bellarminus ex hiſce rationibus concluderet, planè contradicunt. Auguſtinus enim hæc verba de confeſſione Deo facta intelligit. *Si non dixeris Deo quod es, damnabit Deus quod in te inveniet. Tu igitur agnoſce vt ille ignoſcat.* Dionyſius Monachus Carthuſianus, & Ambroſ. Catherinus frater Dominicanus, vterq; doctus, diſertis verbis aſſerunt. *Non hic agitur de confeſſione ſacramentali.* *Aug. in 1. Ioh. Tract. 1.* *Dionyſ. Carth.* *Amb. Cather. Commentar. in hunc locum.*

Hiſce jam omnibus Scripturæ ſacræ teſtimonijs, (quas Bellarminus pro confeſſione ſua protulit) æqua lance examinatis, cum Dionyſio Ciſterſienſi concludam; *Vbi in lege Dei hoc inuenium ſit expreſſum, difficulter reperitur.* Vel dicam potius, quòd nullo loco reperiri poteſt. *Dionyſ. Ciſterſ. in cente. l. b. 4. diſt. 23. q. 2. ar. 3*

CAP. 5.

Conciliorum teſtimonia nec diuinam confeſſionis authoritatem, nec eiuſdem antiquitatem, oſtendunt.

POſt Scripturas ſacras, infert Bellarminus Conciliorum teſtimonia, *vnde cognoſci dicit eccleſia vniuerſa ſententiam. Quæ, etiamſi non continant confeſſionem eſſe iuris diuini; continent tamen antiquam conſuetudinem, & ſæpe illius indicant neceſſitatem.* Reſpondeo. Si Scripturæ teſtimonia, quæ à Cardinale producũtur, rem in controuerſia poſitam tam apertè concluderent, atq; ille cunctis perſuaderet: conciliorum auxilio non opus eſſet. Quæ, etiamſi Confeſſionis in eccleſia vniuerſa frequentationem oſtenderent; quia tamen eandem juris diuini eſſe (tatente Bellarmino) non euincunt, ad confeſſionem ſtabiliendam non ſufficiunt. Omnes enim norũnt, multa eſſe de facto, quæ non ſunt de jure. Tantùm autem abeſt, vt hæc Concilia confeſſionem pontificiam in verbo Dei fundatam probent; vt nec eam in eccleſia frequentatam ne dicam (niſi poſterioribus ſeculis) cognitam oſtendant. Hæc igitur breuiſſimè diſcutiemus. *Primum* (inquit) *in Eccleſia Orientali habemus teſtimonium Concilij Laodiceni Can. 2. His qui deverſorum peccatorum lapſu incurrunt, & inſtant* *Anno 360.*

orationi, Confessioni, ac pœnitentia, malorum suorum perfectam conversionem demonstrantes, pro qualitate peccati tempus pœnitentiæ tribuendum est. Hic habemus (ait Bellarminus) *confessionem, & quidem in specie, & hominibus faciendam.* Respondeo; habemus quidem confessionem hominibus faciendam, & fortassis in specie; tamen, vt seruator noster homini in Euangelio dixit, *vnum tibi deest*: Ita saltem vnum deest Cardinali. Non habemus enim confessionem clancularian, non priuatam sed publicam, in qua peccator conuersionem suam *demonstrat*. Cui, ob Ecclesiæ satisfactionem, tempus pœnitentiæ tribuitur, & deinde aditus ad Eucharistiam conceditur. Nam ecclesiastica disciplina peccatores publicos à rerum diuinarum participatione arcet, donec tandem pœnitentiâ publicâ satis ecclesiæ fecerint.

Marc. 10. 21.

Deinde Sexta Synodus à Bellarmino citatur. *Oportet eos, qui ligandi & soluendi potestatem accepêre, peccati qualitatem considerare, & eius, qui peccauit, ad conversionem promptum studium, & sic morbo conuenientem afferre medicinam.* Quid autem hisce verbis pro Confessione Auriculari habemus? Imo nulla prorsus vllius confessionis, per totum Canonem, fit mentio. In illis tantùm qui ligandi & soluendi authoritatem habent, summa cura & iudicium, in qualitate criminum decernenda requiritur, vt vel mitiùs, vel seueriùs in ea grassentur, quod etiam necessariò à præsulibus, in criminibus publicis coercendis, faciendum concedimus. Hæc verò ligandi & soluendi potestas, secundùm pontificiorum doctissimos, ad iudicium publicum pertinet.

Can. 102.

In Ecclesia Latina (inquit Cardinalis) *est Concilium Carthag. 3. Can. 31. vbi præcipitur, vt pœnitentibus, secundùm peccatorum differentias, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.* Respondeo; Hic eodem modo nauem suam impingit Bellarminus, quo antea: Nam confessio hæc non fuit clancularia, sed aperta, vt ex sequente Canone perspicuum est. Vbi Presbyter, incõsulto Episcopo, pœnitentem reconciliare prohibetur. Quod doctrinæ pontificiorum nullo modo conuenire potest. Illi enim, non solùm Episcopis, sed cuiuis confessario peccatores reconciliandi potestatem concedunt; & peccata priuata sub sigillo taciturnitatis custodiri imperant. Deinde, nec ex his verbis confessio particularis astruitur. Nam, etiamsi vnicuiq; secundùm publi-

Eadem etiam Canon hæc verba habentur, ea lege, vt pœnitentia publicum & vulgatissimum crimen est, quòd vniuersam Ecclesiam commouerit.

cum

cum peccatum ſuum pœnitentiæ tempus decernatur: Inde tamen non concludi poteſt, quòd oporteat illum omnia ſua peccata in ſpecie detegere. Sed hoc ſolùm requiritur, vt Epiſcopus vel Preſbyter, inter aperta peccata huius & illius viri, diſtinguat, quò pœnitentię tempus cuiq; decernatur, antequâ ab eccleſia recipiatur.

Extat (inquit Bellarminus) *Canon. 8. Concilij Cabilonenſis. 1. vt pœnitentibus à ſacerdotibus, facta confeſſione, indicatur pœnitentia vniverſitas ſacerdotum noſcitur convenire.* Reſpondeo; Hic nulla confeſſionis particularis fit mentio. Concilium etiam de pœnitentia loqui videtur, non priuata, ſed publica; vbi vniverſitas ſacerdotum convenire ſolet, vt de publicis criminibus cenſura publica habeatur.

Extat etiam (inquit) *Canon. 32. Concil. 2. Cabilonenſis. Sed & hoc emendatione indigere perſpeximus, quòd quidam, cùm confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plenè id faciunt &c.*

Reſpondeo; Circa tempus huius Concilij Cabilonenſis, annum ſcilicet poſt Chriſtum octingenteſimum Confeſſionis priuatæ opinio quorundam hominum animos imbuere cœpit. Quorundam dico. Adhuc enim lex nulla, diuina vel humana, fuit, quâ ad illam amplectendam omnes aſtringebantur. Quod proximo huius Concilij Canone apparet. *Quidam ſolummodo Deo confiteri debere dicunt peccata. Quidam verò ſacerdotibus confitenda eſſe cenſent.* Concilij igitur Tridentini impudentiam demiror, quod tam fidenter aſſerit, Confeſſionem Auricularem *ab antiquis patribus vnanimi conſenſu ſemper commendatam eſſe.* Iohannis etiam Sateolli & Horatij Lucij (quorum annotationibus prodiit Concilium) penuriam & imprudentiam, qui in eiuſdem capitis margine (inter tot florentiſſima Concilia) hoc vnicum Concilij Cabilonenſis teſtimonium poſuerunt, Quod vnanimem illum conſenſum apertiſſimè conuellit. Deinde illud obſeruatione dignum; quòd Concilium neutram harum opinionem damnat, ſed tantùm dicit. *Vtrumq; non ſine magno fructu fieri. Ita duntaxat, vt Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, confiteamur, tum etiam hominibus. Quia confeſſio qua Deo fit purgat peccata, ea verò, qua Sacerdoti fit, docet qualiter purgentur peccata.* Ecce iam qualem confeſſionem Concilium illud poſtulat. Non ſacramentalem, quâ peccata purgari pontificij contendunt. Sed

Can. 33. Concil. Cabilon. 2.

Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.

consilij, & consolationis, qua sacerdotes pœnitentem instituunt, quomodo se peccatorum laqueis liberet, & reconciliari Deo possit.

Tria eiusdem ferè seculi Concilia, eadem referentia, coniungit Bellarminus; Turonicum 3. Rhemense, & Parisiense. Ea autem, etsi de confessione Sacerdoti facta loquantur: Nullum tamen eorum eandem necessariam esse indicat. Et certissimum est, illam, ijs seculis spontaneam fuisse. Sin vlla lege tunc præcepta esset non tamen sequitur, eam esse iuris diuini. De qua re præcipuè controuersia mouetur.

Concilium Moguntinum Cap. 26. Ab infirmis in mortis periculo positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio. Respondeo; Quis omnino miratur, si in vacillante Ecclesiæ statu nonnulli pullulauerint errores, ὑπολοβοφυλία irrepserit, & inter alia, opinio quædam de necessitate confessionis? Quid autem illud ad diuini iuris authoritatem, vel vniuersalem omnium seculorum consuetudinem?

Wormatiense. cap. 25. Pœnitentibus, secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio pœnitentia decernuntur. Respondeo; Hic de Confessione ne verbum quidem. Nec aliquid à Concilio decernitur; Nisi vt, qui se apertis vitiorum maculis contaminassent, pœnitentiam juxta peccatorum qualitatem, subire cogerentur.

Hæc languida Conciliorum testimonia breuiter percurri; Vt quæ parui sint ad confessionem auricularem confirmandam. Argumentum autem è scholasticorum sententijs, contra eorundem omnium authoritatem, non leue astruatur. Illi enim testantur, confessionis necessitatem negare, *ante determinationem Concilij Lateranensis, hæresin non fuisse.* Vnde planè constat, eandem in nullo alio Concilio præcedente determinatam, & constitutam fuisse.

Vt concludam; Quis posteriora illa Concilia, quæ infra annos postremos quadringentesimos celebrata sunt, & præcipuè Conciliabulum illud Tridentinum moratur? Quod, etsi *magna debet esse authoritatis apud Catholicos*, vt contra Dreidonem dicit [1] Bellarminus. Nos tamen non magni facimus; vt quod tenuis diabolicis initum, nefaria coniuratione protractum, maxima impietate

[1] *Bellarmin. de verbo Dei lib. 1 cap. 9.*

pietate concluſum, adverſus Chriſtum, & religionem Chriſtianam miſerè graſſari non dubitauerit.

CAP. 6.

Patres confeſſioni auriculari non ſuffragantur. Et primò teſtimonia Patrum, qui ab anno domini 100 ad 200 floruerunt, examinantur.

BEllarminus à Scripturis deſertus, & Conciliorum auxilio parùm adiutus, ad patres tandem deuenit, quorum authoritate vacillantem ſuam confeſſionem ſtabilire conatur. Qui, ſi nó triginta eſſent (tot enim Bellarminus citauit) ſed plus quam trecenti (tot etinim Carthuſius hæreticus Concilio Chalcedonenſi iactauit) in Theatrum fruſtra inducerentur. Nullus enim eorum Confeſſionem auricularem de iure diuino eſſe aſſeuerat. Ego verò Cardinali reſpondendo, eundem ordinem ſequar, quem ille patribus recenſendis delegit. *Concil. Chalced. Act. 4.*

Primò, in acie exercitus, ſecundùm eorum ætatem, Irenæus, & Tertullianus collocantur Iren. lib. 1. cap. 9. oſtendit, varias fœminas, quas Marcus hæreticus circumvenerat, ad eccleſiam conuerſas peccata ſua confeſſas eſſe. & lib. 2. cap. 4. *Expreſsè dicit, Cerdonem hæreticum, poſt quam latenter hæreſin ſuam docuiſſet, exomologeſin feciſſe.* Hanc confeſſionem publicam publicorum criminum fuiſſe ait Chemnitius, negat Bellarminus. Et negat, quia *Irenæus de occulto crimine loquitur, & occulta cupiditate, qua, niſi ex confeſſione fœminarum, cognoſci non potuit.* At inualida Bellarmini ratio eſt. Nam fœminæ, quæ, Marcum hæreticum, hominem vita & doctrina impuriſſimum, ſequendo, publicum Eccleſiæ ſcandalum intuliſſent; vt eccleſiæ ſatisfacerent, publicè confitebantur. Et, ad maiorem criminis deteſtationem, intimum ſuum amorem, erga hominem nequiſſimum divulgabant. Idcirco in calce illius capitis dicitur. *Quædam manifeſtè confeſſas eſſe.* Ad Cerdonem quod attinet. Egregium eum verſipellem fuiſſe Irenæus docet. *Qui modo errores ſuos latenter docuit, modo confeſſus fuit.* At quomodo tandem? Num ſecretò? Nihil minus. An quia quæ latenter docuit, confeſſus eſt, ergo crimina nulla publica? Non ſequitur. Nam etſi ille latenter docere conabatur;

non ita tamen latere potuit, quin ipsius hæreses in publicum prodirent; Hocq; narrat Eusebius; Adeo vt *propter ea, quæ malè docuerat reprehensus à Synodo fratrum abstinuerit.*

Euseb. hist. Ecclesiast. lib. 4. c. 11.

Sequitur Tertullianus, qui libro suo de pœnitentia exomologesin à peccatoribus exigit. Hanc confessionem Chemnitius verissimè dicit publicè factam esse. Cui Bellarminus. *Loquitur fortasse Tertullianus de pœnitentia publica, sed qua fiebat post confessionem privatam.* Ecce quod Cardinalis sine summa impudentia negare non potuit, summa tamen cum fraude in dubio relinquere conatur. Non enim loquitur fortasse: sed sine dubio loquitur Tertullianus de publica pœnitentia, quæ fit (inquit ille) *inter fratres atq; conservos. Quid consortes casuum tuorum vt plausores fugis? Non potest corpus de vnius membri vexatione lætum agere.* Hoc optimè vidit olim Beatus Rhenanus, quem igitur Index Expurgatorius Belgicus iniquissimè decurtauit. Imò hoc vidit proculdubio Bellarminus; inficias ergo planè ire hominem puduit. Et tamen pro confessione clancularia ex hoc Tertulliani testimonio dimicat. Cujus etiam ratio hæc est. Quia *Tertullianus de occultis peccatis loquitur: secreta autem crimina non sunt publicè confitenda.* Siccine verò? Quare igitur dicit Bellarminus, *Fortasse de pœnitentia publica loquitur?* Oportuit enim dicere, eũ omnino non locutum esse. Sed infinitis testimoniis probari potest, vigente duriore disciplina, confessionem publicam de occultis criminibus sæpe factam fuisse. Hoc est Bellarmini argumentum; Tertullianus confessionem publicam, & voluntariam suadet, idcirco privatam, coactam, pontificiam defendit. En lucu-

Nam hoc etiam est Baronij testimonium.

lenta Cardinalium, Baronij, & Bellarmini de priori seculo testimonia.

CAP. 7.

Testimonia Patrum ab anno 200. ad 300.

SEcunda classe sunt Origenes & Cyprianus. Ex homilijs Origenes in Leuit. duo testimonia proferuntur. De quibus homilijs aliquid in genere dicendum. Eas nempe incognitæ esse o-

Rhem. annot. in Iob. 20. 23.

riginis. A Rhemensibus sub Cyrilli Alexandrini nomine citantur qui post Origenem ducentis annis vixit. Auctorem etiam Bellarminus

larminus iure reprehendit, quia per mysticos sensus passim literam destruit. Adde quod Erasmus obseruauit; *Si homilia sint Origenis, Ruffinum eas transferendo ita egisse, vt qui hoc opus legerit, incertus sit, vtrum legat Origenem, aut Ruffinum.* Idcirco, nonne cum Bellarmino contra Bellarminum concludam, *Homilias istas non magna esse authoritatis?* A quo etiam iure quæram quorsum igitur ille eas tanti fecit, vt ab illo honesti testimonij loco adducerentur? Sed si testimonium honestum esse concederemus: Idem tamen Cardinalem parùm adiuuet. *Ego* (inquit) *adhuc & septimam, licèt dura, & laboriosa per pœnitentiam peccatorum remissio; cùm lauat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachryma sua panes die & nocte, & cùm non erubescit sacerdoti domini indicare peccatum suum. Hoc loco* (ait Bellarminus) *Origenes loquitur de confessione faciendâ sacerdoti, & de confessione peccatorum in specie, & occulterum, & quæ in diuinis literis fundamentum habet, ex eo quod testimonium Iacobi adducit in medium.* Respondeo; Hîc multa desunt ad confessionem pontificiam asserendam. Confessionem hoc loco tractatam agnosco Sacerdoti faciendam, & fortassis occultorum peccatorum; in specie autem esse non apparet. Imò singularis alicuius peccati esse patet conscientiam pungentis, non omnium. Nam pœnitens dicitur confiteri Sacerdoti peccatum suum, non peccata. Peccatum etiam, quod ita pectus percussit, vt lachrymas illi die & nocte excusserit. Miserum deniq; & malè jactum fundamentum in Scripturis habet. Locus enim Iacobi, qui in medium profertur, à pontificijs non pro confessione auriculari, sed pro extrema vnctione asserri solet. *Si quis infirmatur, vocet Presbyteros ecclesiæ, & imponant ei manum, vngentes eos oleo, &c.*

Erasm. cens.

Bellar. de verb. Dei lib 4. cap. 11 de homilijs istis.

Iacob. 5. 14.

Alter locus ex Homilia 3. in Leuit. confessionem vrget, at qualem non omnino constat. Sed probabile est, eandem esse deo faciendam. Monet enim vt *nosmet ipsos confitendo accusemus, ne nos diabolus in accusando præueniat.* Idcirco, sicut ille est accusator fratrum ad Deum: Ita nos peccata nostra Deo priùs pandere oportet, vt dum nos ipsi nostrum accusatores sumus, Diabolus sit (vt loquitur Augustinus) solùm *calumniator.*

Apoc. 12. 10.

Aug. de verb. Dom. ser. 3.

Idem author (inquit Cardinalis) *hom. 2. in Psal. 37. Vide quid nos docet sacra Scriptura, quia oportet peccatum non celare intrinsecus.*

secui. Ex hoc loco discimus, confessionem esse necessariam, etiam occulturum criminum. Nec tamen oportere omnia peccata publicè confiteri: sed omnia quidem priuatim; publicè autem solùm publica aut ea quæ maturo consilio Sacerdos iudicabit esse prodenda. Respondeo; Si quis Erasmi censuram de hac homilia viderit, illam non fuisse Origenis, *sed Latini alicuius, & parum docti, ac prudẽtis* fatebitur. Ecce, tales sunt Iesuitæ testes, qui apud viros cordatos nullam fidem obtineant. Sed (vt iste pro integro habeatur) vlteriùs respondeo; nemo est qui historias ecclesiasticas legerit quin benè nouerit, publicam confessionem olim in Ecclesijs, tum Græcis, tum Latinis viguisse. Non autem omnium peccatorum, sed grauiorum tantùm lapsuum. Vnde aliquando contigit, vt scandala ob defectum charitatis orta sint. Ideoq; author ille suadet, non vt omnes peccatores confiteantur, sed illi tantùm qui inea prolapsi sunt, quæ conscientiam opprimunt, vt verba infirmare, flere, dolere, pati ostendunt. Vtq; illi à prudente & compatiente Sacerdote priùs edocerẽtur, an peccata illa in publicum proferre expediret. Idcirco illud, *Omnia peccata priuatim confiteri oportere*, Bellarminus ex proprio cerebro protulit. Deinde si author iste confessionem priuatam satis esse ad abolitionem peccati putauerat (quod omnes asserunt pontificij) quorsum idem suaderet, vt peccator à Sacerdote edoceretur, *an languor suus in conuentu totius Ecclesia curari debeat*? Ecce Bellarmini testem contra Bellarminum testimonium perhibentem.

Producitur postremo Origenis homilia 17. in Lucam. *Vnde* (inquit) *& nos, si peccauerimus, debemus dicere, peccatum meum notum tibi feci, &c. Si enim hoc fecerimus, & reuelauerimus peccata nostra, non solùm Deo, sed & his qui possunt mederi vulneribus nostris atq; peccatis: delebuntur peccata nostra ab eo qui ait, ecce deleo vt nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata.* Respondeo; Hæc homilia ex Didymo transferri ab Hieronymo videatur, qui ducentis ferè annis post Origenem vixit. Tamen, vt pro germano habeatur. Nihil in eadem vrgetur, nisi vt pœnitentes peccata conscientiam remordentia hominibus confiteantur. Tantum enim verba præ se ferunt. Nam ideo, inquit, hominibus confitemur, vt vulneribus medeantur: quod fit per verbum exhortationis & consolationis (ita enim fideles verbi prædicatores

Vt reliqua in Luc. Sic enim collegit Erasmus ex verbis Hieronymi Erasm. Censura.

Contritio

Contritis corde medentur)Non vt ab illis peccata noſtra condonentur(quod pontificij in confeſſione clancularia fieri contendunt)ſed vt à *Deo deleantur*,qui ait, *Ecce delevi, vt nubem iniquitates tuas.* Quid manifeſtius? Luc.4.18.

Secundo loco habemus(inquit)*Cyprianum dicentem; Nam cum in minoribus delictis,quæ non in Dominum committuntur,pœnitentia agatur iuſto tempore,& exomologeſis fiat,inſpecta eius vita, qui agit pœnitentiam,nec ad communionem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo & clero manus fuerit impoſita; quantò magis his graviſſimis,& extremis delictis,cautè omnia & moderatè, ſecundùm diſciplinam Domini, obſervari oportet? Hic* (inquit Bellarminus)*habemus exomologeſin,etiam neceſſariam, ſecundùm diſciplinam Domini.* Cypr. Ep.lib.3. Ep.16.

Reſpondeo;Habemus hìc exomologeſin,etiam ſecundùm diſciplinam Domini, ſcilicet *Mat.18.* Qui eo loco jubet crimina in fratres commiſſa ad eccleſiam deferri;vt eccleſiæ authoritate peccator ad meliorem frugem perducatur,vel ſicut ethnicus,& publicanus habeatur. Nam confeſſio illa non eſt omnium criminum ſed quorundam quæ in homines, non in Deum perpetrantur. Deinde non eſt eadem priuata,ſed publica. Vbi Epiſcopus & clerus,quibus & peccatum,& pœnitentia innotuit, manus ſuas illi imponant. *At talem*(inquit Bellarminus) *exomologeſin habemus,vt ex ea pœnitentis vita inſpici,& cognoſci poſſit. Proinde habemus confeſſionem omnium peccatorum iure diuino eſſe neceſſariam.* Reſpondeo; Lactantij verba in Bellarminum optimè quadrant: *O quàm ſimplicem veramq; ſententiam, duorum verborum adiectione,corrupit?* Ecce enim Cardinalis artificium, qui duo verba adijciendo,beatum patrem confeſſionem pontificiam decantare fecit.Nam illa verba(*ex ea*)Bellarmini ſunt additio. Cyprianus non dicit exomologeſis fit, vt ex ea pœnitentis vita inſpici, & cognoſci poſſit: ſed agatur exomologeſis, inſpecta vita eius,qui agit pœnitentiam. Vbi planè vnuſquiſq; videat, illum non requirere,vt ex confeſſione vita pœnitentis cognoſcatur:ſed facta confeſſione,vita eius diligenter obſeruetur, num illa confeſſioni & publicæ pœnitentiæ ſit conſona. Ita etiam phraſis eadem apud authores probatiſſimos, *vitam alicuius inſpicere*, non cognitionem certam,qualis habetur per confeſſionem ſed conLact.inſtit.lib. 6.cap.18.

iecturam tantùm probabilem, per obseruationem denotat. Sed videamus quid idem habet libro de lapsis. *Quantò*, inquit, *& fi-*

Cyprian de Lapſ. ſerm.5. *de maiore, & timore meliore ſunt, qui quamvis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de hoc vel cogitauerunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi pondus exponunt, ſalutarem medelam, parvis licèt, & modicis criminibus, exquirunt?* Ad hunc locum reſpondet Chemnitius *Cyprianum non loqui de omnibus, & ſingulis peccatis, cogitationum & voluntatis Sacerdoti confitendis: ſed de ijs tantùm, quæ ad idololatriam, vel abnegationem Chriſti pertinent.* Quod verum eſſe, ſubiectum, occaſio, vel ipſius libri inſcriptio docebit. Nam quia, eiſdem temporibus, eccleſia malè audiebat, propter quoſdam, qui ob tormenta, vel timorem Chriſtum abnegaſſent, & in idololatriam prolapſi eſſent:

Petri. Iob.21. Curabant pij præſules, vt hujuſmodi peccatores, ad eccleſiam reuertentes, more beati Apoſtoli, negationem ſuam publica cõfeſſione compenſarent; Vt Eccleſia cum idololatris communicare non videretur; vtq; perſecutores cognoſcerent, Chriſtianos eos non ex animo, ſed tormentorum tantùm metu, nefandæ illorum idolomaniæ ſuccubuiſſe. Vnde etiam factum eſt, vt quidã, nulla neceſſitate coacti, ſed idololatriæ odio commoti, cogitationes etiam ſuas occultas, ad peccatum illud plus nimium propenſas, publicauerint. Hi verò conſcientiæ ſuæ hoc facto optimè conſulere videbantur, vt quod intus vrebat, per confeſſionis flammam euaneſceret; vtq; medelam vulneribus, non à ſolo ſacerdote, ſed (vt loquitur Cyprianus) *Epiſcopo & Clero*, tanquam à collegio medicorum efflagitarent. Quam ineptè igitur Bellarminus ex hoc particulari colligit, omnia peccata mortalia Sacerdoti priuatim eſſe confitenda? Deinde, dicit Chemnitius, non proponi præceptum, vel conſuetudinem vniverſalem; ſed tantùm *exemplum quorundam, qui fide maiore & timore meliore erant.* Cui Bellarminus; *Iſtæ obiectiones ex Cypriano facile refelluntur. Nam poſteaquam dixerat, ſalutarem medelam parvis licèt vulneribus requirunt, addit; Deus non deridetur; plus delinquit qui credit ſe evadere pœnam criminis, quod non palam commiſit, & pœnitentiam huic agendum dicit, qui cogitatione tantùm peccauit. Confitea mur, quaſo fratres, ſinguli delictum ſuum &c. Ex his* (inquit

quit Cardinalis) *manifestè colligimus, necessarium esse confiteri peccata omnia mortalia, etiamsi sola cogitatione commissa sint.* Respondeo; Bellarmini non erat dicere, *colligimus*: sed ostendere quomodo illud colligit. Lynceis illi oculis opus est, qui, quomodo colligatur, videat. Si dixisset Cyprianus, *Confiteamur singula peccata nostra*, quisq; facilè colligere potuisset: quod dixisset proculdubio, si omnia peccata mortalia necessariò confitenda cogitasset. Sed dixit tantùm *confiteamur singuli delictum suum.* Ex vno igitur delicto, omnia peccata concludere, quid vanius? Nec minus vanum est, quod concludit postea Cardinalis: *Illa verba, quantò maiore fide, & meliore timore &c. non continent exemplum confessionis non necessaria, sed argumentum à minore ad maius.* Vtrumq; enim continent. Ac si quispiam diceret. Si, qui possessiones Deo non consecrauerant, eorum tamen pretium ad pedes Apostolorum deposuerunt, quantò magis eos oportuit, qui cõsecrauerant? Et si tanta sit quorundam continentia, vt, licèt nullo Ecclesiæ voto astringantur, à re tamen coniugali abstineant: quantò magis eos abstinere decet, qui castitatem solenniter voverunt? Eccè hìc sunt argumenta à minore ad maius; & tamen fatebitur Bellarminus, nec necessarium esse, vt alter possessionis pretium, Deo non consecratum, ad Apostolorum pedes deponat; Nec vt alius, qui continentiam non vouit, à coniugio prorsus abstineat. Ita cùm ille argumentatur. *Si, qui sola cogitatione peccant, exomologesin faciunt, quantò magis id fieri deberet ab ys, qui verbo, & opere peccata committunt?* Necessarium esse non cõcludat, exomologesin ab iis, qui sola cogitatione peccarunt, faciendam.

CAP. 8.

Testimonia Patrum ab anno 300. ad 400.

PAtrum, qui tertio seculo floruerunt, Lactantius primus est, Qui instit. l. 4 cap. 17. dicit, *Deum pœnitentiam nobis in Circumcisione proposuisse, vt si cor mundauerimus, id est, si peccata nostra confessi satis Deo fecerimus, veniam consequemur, qua contumacibus & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, sicut homo, sed intima, & arcana pectoris intuetur.* Respondeo;

Quis iſthæc,& ſimilia ſine indignatione legat? Nam otio valde abutitur Bellarminus,dum loca, nihil ad propoſitum facientia, profert. Vt quod teſtium pondere non efficiat, numero ſaltem aſſequutus videatur. Hæc enim verba Lactantij, ne probabili quidem coniecturâ,de confeſſione clancularia intelligantur: Sed de ea quæ Deo fit,qui internam pectoris pœnitentiam intuens veniam concedit,& contumacibus denegat.

Pari etiam fœlicitate Cardinalis ex eiuſdem libri cap: vltimo confeſſionem ſuam probat. Lactantio dicente; *Quia ſinguli quiq; cœtus hæreticorum ſe potiſſimum Chriſtianos,& ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant. ſciendum eſt illam eſſe veram, in qua eſt confeſſio & pœnitentia,qua peccata & vulnera,quibus ſubiecta eſt imbecillitas carnis,ſalubriter curat.* Nam Lactantius non de confeſſione privata,ſed publica ſermonem ſuum inſtituit. De ijs enim loquitur, quorum imbecillitas ſevioribus perſecutionum procellis innotuit: Horum communionem Nouatiani, magno typho elati,vitabant; hiſce libertatem eccleſias adeundi, & lapſus ſuos lamentis confitendi negabant; hoſq; ab eccleſia non abſoluendos eſſe affirmabant, ſed Deo prorſus eſſe relinquendos. Hi quidem fuerunt illi hæretici,hæc fuit confeſſio, de qua Lactantius locutus eſt.

Athanas.ſermone in illa verba Profecti in pagum.&c. Pet. Nan. epiſt. nuncup.

Poſt Lactantium Athanaſius ſequitur. *Noſmetipſos* (inquit ille) *examinemus num ſoluta ſint noſtra vincula, vt in melius proficiamus. Quod ſi nondum ſoluta ſint vincula,tradas teipſum diſcipulis Ieſu. Adſunt enim qui te ſolvant,&c.* Etſi cum Eraſmo reſpondere poſſem, *Apparet eſſe fragmentum, ex opere quopiam decerptum.* Etſi cum Petro Nannio, homine apud Lovanienſes non paruæ exiſtimationis,eundem eſſe *ſuppoſititium*;& idcirco reſpõſione indignum. Tamen vt concedam hunc ſermonem geminam Athanaſij prolem eſſe. Nihil certè pro confeſſione pontificia facit. Primo enim in noſtra eſſe poteſtate aſſerit *noſmetipſos examinare,an ſoluta ſint vincula noſtra*; quod examen Sacerdotis excludit.Deinde etſi tradere ſe quempiam Sacerdotibus oporteat ſolvendum: Nulla tamen ſyllaba,nulla in eiſdem verbis ratio,vnde confeſſio colligatur.

Poſt Athanaſium Hilarius. *Ad terrorem autem metus maximi quo in præſens omnes continerentur,immobile ſeueritatis Apoſtoli-*

ca

ea iudicium præmisit. Vt quos in terris ligauerint, id est peccatorum nodis innexos reliquerint; & quos solverint confessione Venia receperint in salutem: hi Apostolica conditione sententia in cœlis quoq; aut soluti sunt aut ligati. Respondeo; Hic primò Bellarminus cum typographo errare videtur; qui, pro *concessione venia*, perperam legit *confessionem venia*. Illa enim locutio, *confessio venia*, est sensus prorsus expers: altera verò rationalis, & cum reliquis benè conveniens; scilicet, vt, *quos Sacerdotes solverint concessione venia, reciperant in salutem.* Deinde si quis totum Hilarij tractatum legerit, videbit apertè illum de externo, & extremo illo judicio locutum, quod in excommunicatione exercetur. Nam postquam egisset de fraterna correptione, quæ primò inter vnum & alterum, atq; postea inter plures habetur, ad hoc *severitatis Apostolicæ iudicium*, nempe excommunicationis, devenit. Quid autem hæc ad Confessionem? Nec mirum est, si Chemnitius hæc & similia patrum testimonia omiserit (quod feciſſe illum Bellarminus ait) vt quæ nihil pro confessione pontificia faciunt, imo nec facere videntur.

Quartò (inquit Bellarminus) *habemus S. Basilium in quæstionibus siue regulis breuioribus.* At pro me Bellarminus Bellarmino respondebit. Hic non habemus S. Basilium.[a] *Cùm valde probabile sit, eas quæstiones editas esse ab homine parum probata fidei, non est cur earum testimonium magni faciamus.* Ecce tamen ille idem tam magni facit testimonium, vt laboret vehementer ex eodem confessionem suam stabilire. Nec dissimile est Bellarmini testimonio argumentum. Nam cùm auctor ille hæc verba habeat. *Vt vitia corporis ijs aperienda sunt, qui rationem ea curandi teneant: eodem modo peccatorum confessio fieri debet apud eos, qui ea possunt curare*; Bellarminus inde confessionem auricularem probari asserit; cùm omnino non constat de qua confessione suppositius ille Basilius loquitur. Etiamsi, contra Bellarminum, de ijs locutus videatur, quos peccatorum conscientia stimulat, ideoq; consilio & consolatione ministrorum Christi egeant. De quacunq; loquitur, *Hoc sanè*, inquit Lorinus, *ad sacramentalem Confessionem non spectat.*

Basil. in Regulis contract. q. 229.

[a] *Hæc sunt Bellar. verba. De amiſ. gratia. lib. 1. Cap. 13.*

Lorin. in Act. 19.

Instat præterea ex eodem auctore Cardinalis: *Necessarium est, vt ijs fiat confessio peccatorum, quibus dispensatio mysteriorum*

Dei credita est; Respondeo; Primùm frustra vrgetur vis verbi necessarium. Nam ἀναγκαῖον non semper simplicem necessitatem, sed respectivam, & rei conuenientiam denotat. Deinde author ille non de confessione clancularia & particulari loquitur, sed de publica & generali; vt verba immediatè sequentia ostendunt. Talem enim confessionem requirit, qualis eorum fuit, qui Mat. 3 Iohanni Baptistæ confitebantur. Hanc autem in specie non fuisse supra ostendimus. Deniq; quis mentis compos, ex libris suppositijs Confessionem auricularem, aut confessionis necessitatem probaret, cum genuinus ipse Basilius, non solùm confessionem Deo factam, sed etiam cordis suspiria ad remissionem satis esse doceat?

Cap. 3.

Basil. in Psal. 37

Ambros. de panit. lib. 2. Ca. 6.

Quintò profertur S. Ambrosius. *Fatere delictum tuum: solvit criminum nexus verecunda confessio.* At quid hæc ad confessionẽ pontificiam? Ambrosius enim, per totum illud caput, ne verbum quidem habet de confessione quæ fit hominibus; sed de ea tantùm quæ Deo. Deinde ostendit Bellarminus ex eiusdem libri capite 9. & 10. *Multos fuisse qui libenter confitebantur privatim sacerdotibus, sed publicè in ecclesia satisfacere recusabant. Praterea* (inquit) *Paulinus in vita S. Ambrosii hæc verba habet. Quotiescunq; ille aliquis, ob percipiendam pœnitentiam, lapsus suos confessus esset, ita flebat, vt & illum flere compelleret.* Respondeo; Quales illi fuerunt ostendit eò loci Ambrosius, scilicet *qui futuri supplicij metu movebantur.* Nemo verò negat, eos qui terrore peccatorum agitantur, & posse, & debere consilium, & consolationem à ministris Dei quærere. Sed hæc non est omnibus regula; Ibiq; non dicitur omnes, sed pleriq; confitebantur. Deinde horum confessio spontanea fuit, non coacta, nec exactam peccatorum enumerationem exigebat. Hanc nos laudabilem esse dicimus; Optamusq; vt plures ad Christi ministros accederent, quò ab illis ad benè beatéq; viuendum instituerentur, & consolationis per Christum compotes fierent. Quod Ambrosius lachrymas confitentibus excusserit, beati viri charitatem ostendit, confessionis autem necessitatẽ non probat. Deniq; Ambrosius confessionem Sacerdoti factam non simpliciter necessariam iudicavit, vt varijs locis liquet. De Petro peccatum suum deflente sic loquitur. *Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit: lanavit lachryma delictum,*

Ambros. in Luc. 22.

tum, quod vere pudor est confiteri. Et alio in loco hanc habet adhortationem: *Ostende te Sacerdoti, illi scilicet qui est Sacerdos in aternum.* *Ambros. in Psal. 118 serm. 3.*

Sextò (inquit Bellarminus) *habemus Gregorium Nissenum.* At, dico, quæstio est habeamus necne. Imò illum potius non Greg. Nissenum fuisse constat, sed neotericum quempiam. Is enim divisionibus curiosis versatur; quales non nisi superis seculis ecclesiæ cognitæ sunt. Et quosdam habet Canones adeo varios & inauditos, vt à Balsamone jure damnentur. At quid si demus authorem illum Greg. Nissenum fuisse? Parùm inde lucrabitur Bellarminus. Nam etsi in eadem epistola varia vitiorum genera narrat, pœnitentiâ & confessione eluenda; quali tamen confessione, nimirum coacta vel spontanea, publica vel priuata, generali vel particulari omnino non ostendit. *Imò de confessione singulorum peccatorum loquitur* (ait Bellarminus) *dulta similitudine à morbis & medicamentis; per quam docet varias curationes adhibendas esse peccatoribus, pro ipsorum peccatorum varietate. Non possunt autem Sacerdotes varietatem peccatorum cognoscere, nisi pœnitentes ipsis peccata sua singillatim apperiant.* Respondeo; Hæc similitudo plura, tum in ipso pœnitentiario, tum etiam in cõfitente, exigit, quàm in papatu olim inuenire potuerit: Nempe Sacerdotem doctum & eruditum, qualis apud eos rara auis fuit; & disquisitionem peccatorum diligentem, quam multitudo confitentium præbere non potuit. Agnosco similitudinem, ad hoc propositum, valde esse idoneam, & ab antiquis patribus vsitatã. Nimirum, vt qui morbis grauioribus laborant, ad medicos se conferunt, & ægritudines quoad fieri potest exponunt: Ita illis faciendum esse, qui morbis animæ cruciantur. Quis autem adeo hebes aut demens est, vt putet cuiq; propter ægritudines etiam leuiculas, & dolentia vacantes, quibus & ipse facilè mederi possit, ad medicorum auxilium confugiendum? Ita etiam dici potest de animæ morbis. Non opus est vt singula Sacerdotibus ostendantur, sed ea tantùm, quæ angorem & aculeum conscientiæ secum ferunt. Sicut Beda grauioris lepræ iudicium, juxta legem, Sacerdoti deferendum docet. *Greg. Niss. ad epist. Mitilen.* *Balsamon. in Can. 8.* *Beda in Luc. 5.*

Septimum testimonium est Paciani, qui exactam à pœnitente confessionem, & diligentem à pœnitentiario examinationem exigit

igit: eosq; reprehendit, qui propter verecundiam à confessione arcentur. Ille autem non singulorum peccatorum confessionem requirit, vt Bellarminus ait, sed quorundam tantùm: eorum scilicet quæ conscientiam remordent, quod liquidò, tum ex antecedentibus apparet, *Accipite remedium, si desperare cœpistis, si miseros vos agnoscitis, si timetis.* Tum etiam ex sequentibus. *Vulneratam desinite tegere conscientiam.* Nihil ergo est vt Bellarminus de hisce testimonijs glorietur.

CAP. 9.

Testimonia Patrum ab anno 400. ad 500.

BEllarminus quinq; hujus seculi testes profert. Primus est Chrysostomus. Primus locus apud Chrysostomum est homiliâ 30. in Genesin, Sed frustra. Fatetur enim, *Chrysostomum non dixisse, confessionem Sacerdoti faciendam:* Quorsum igitur Cardinalis testimonium illud produxit? Nam confessionem Deo faciendam nemo vsquam dubitauit. Secundus locus est homil. 33. in Iohannem. Cuius verba priora nihil aliud complectuntur, nisi eorum reprehensionem, qui, respectu peccatorum, homines non Deum formidabant. Et quid hoc ad confessionem? Verba, quæ vllam speciem habere videantur, hæc sunt; *Vos autem hortor, dilectissimi, vt, etsi nemo opera nostra videat, singuli suam conscientiam ingrediantur, & iudicem sibi rationem constituant, errata sua in medium adducant; nisi velitis in die illa horrenda vniverso orbi ea manifestè patere.* De quibus ita Bellarminus: *Hortatur ad confessionem criminum occultorum. Et cum certum sit, ex multis alijs locis, Chrysostomum non probasse confessionem publicam, sequitur, vt ad confessionem privatam hortatus sit.* Respondeo; Chrysostomus eos iustè reprehendit, qui homines plus quàm Deum formidarunt. Sed si Bellarminus non fuisset illi similis, qui *neq; Deum timebat, neq; homines reverebatur*; Chrysostomũ hac in controuersia nunquam adduxisset. Beato enim illo patre aduersarium rigidiorem nec inter antiquos patres, nec inter theologos neotericos inueniat; vt ipse, nisi animo diuturna confessionis consuetudo callum obduxisset, videre facilè potuisset. Quod autem Cardinalis pro fundamento posuit, dolum malum prodit.

Luc. 18. 4.

Nempe

Nempe *Confessionem publicam non probauit Chrysostomus, ergo ad priuatam hortatus est.* Nam vbi tandem improbauit? Certè sicut eam vt illicitam nunquam improbauit: Ita eandem vt necessariam nunquam vrsit. Sed in medio prorsus reliquit. Imo verba illa, *errata sua in medium adducant.* Non priuatam confessionem, sed publicam indicare videntur. Qui enim priuatim confitetur errata sua, in medium proferre non dicitur.

Locus vltimus, qui 2 libro de Sacerdotio habetur, confessionem certè postulat; sed ab ijs tantum, qui anxietate animi laborant. Quæ est confessio consilij & consolationis. Vt ex ipsis Chrysostomi verbis (*qui laborant Christiani*) perspicuum est.

Chrysostomus multis locis confessionem Deo faciendam vrget, hominibus non ita. Illam ostendit ad animæ salutem sufficere, hanc non ita. *Confessio* (inquit) *peccatorum est abolitio delictorum. Peccati confessio est peccati solutio.* Quibus locis de confessione Deo facta apertissimè loquitur. Si Confessio quæ Deo fit delictorum sit abolitio, si peccati solutio, confessio Sacerdoti facienda non est necessaria: sed primum asserit Chrysostomus: ex illius ergo præmissis sequitur secundum. Idcirco idem alibi hortatur, *Solus te Deus confitentem videat*; Deumq; ita peccatorem alloquentem infert; *Mihi soli duc peccatum priuatim, vt sanem vicus.* Quid planiùs, aut apertiùs dici potuit? Sed quia Bellarminus ait Chrysostomum solùm confessionem publicam non probasse: alterum ex sexcentis locum afferam, eundemq; ex eadem homilia. *Neq; homini dicis, ne tibi opprobret; Neq; enim conseruo confiteris, vt in publicum proferat, sed ei qui dominus est &c.* Hic habemus antithesin, inter confessionem Deo factam & hominibus. Illam vrget Chrysostomus, hanc omnino non requirit. Et ne hæc de confessione publica dici objiciatur: Ecce illam confessionem improbat, non quæ fit in theatro, sed alicui conseruo, ne in publicum proferat. Quæ ratio à ratione penitus esset aliena, si Chrysostomus de publica confessione sermonem suum instituisset. Quorsum enim cauendum, vt, quod iam fit publicum, in publicum non proferatur? Sed ad alterum testem descendam; nempe Hieronymum, in Eccl. 10. *Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum*

Chrys. in Gen. hom. 20.
Idem in Psal 104
Serm. de pœnit. & Confes.
De Laz. Con. 4.
vide plura cap. 15.
1. De Laz. Con. 4.

fratri & magistro volnerit confiteri; magister, qui habet linguam ad curandum facilè ei prodesse non poterit, si enim erubescit aegrotus vulnus medico confiteri quod ignorat, medicina non curat. Respondeo; primùm Hieronymus taciturnitatem non pœnitus criminatur: sed illam cum impœnitentia coniunctam, vt sententiæ coniunctæ planè demonstrant, *Si nõegerit pœnitentiam, nec vulnus suum volverit confiteri.* Et abundè alijs in locis docet Hieronymus, pœnitentiam, confessione non adhibita, veniam à Deo consequi, *Luctum pœnitentia beatos reddere, affirmat; hancq; anima vulnerata medicinam appellat.* Sin autem ita à serpente quispiam morsus sit, vt non possit sibi per pœnitentiam mederi; illius multùm interest, vt opem medicorum spiritualium quærat. (Quod absq; omnium peccatorum confessione fieri potest) illis Deus linguam eruditam dedit, *vt verbum tempestiuè eloqui possint.* Vnde morsus sanitatem consequatur.

Hieron in Isa. Cap. 30.
In Eccles. 7.
Confessio ad misericord. facilè flectit: Deum.
Hieron. in Hier. lib. 2.
Isai. 50. 4.

Alter locus Hieronymi. *Legimus in Levitico de Leprosis, vbi iubentur vt ostendant se Sacerdotibus, & si lepram habuerint, à sacerdote immundi fiant. Non quò Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quia habeant notitiam leprosi & non leprosi & quomodo ibi Sacerdos mundum vel immundum facit: sic & hic alligat, vel soluit Episcopus & Presbyter.* Respondeo; Testimonia Cardinali valdè defuerunt, aut mirum in modum defecit illius ingenium, qui hæc scriberet. Quid enim durius contra absolutionem pontificiam dici potuit. Nam eisdem verbis, *Sacerdotes peccata remittere*, perspicuè negatur. Quæ est Helena, de qua tam acriter pontificij dimicant. Quæ si abdicatur, confessioni suæ valedicere possunt.

Hieron. in Mat. 16.

Non deest autem Bellarmino subterfugium, licèt miserum. *Neq; mouere nos debet* (inquit) *comparatio illa cum Sacerdotibus Leviticis, qui lepram non verè curabant. Nam similitudo in eo solum consistit, quod, quemadmodum Sacerdotes Levitici non poterant leprosos curare, sine ipsorum cooperatione, sola sua potestate, sed tantùm indicabant eos esse leprosos: sic etiam Sacerdotes non possunt sua sola potestate peccatores iustificare, nisi ipsi etiam per pœnitentiam, & confessionem cooperentur.*

Deus bone! quid futilius, & à mente patris alienius? Nam illo quasi articulo vis totius comparationis ponitur. Nempe, sicut

sint Sacerdotes Leuitici mundos vel immundos fecerunt, hoc est discernendo; sic alligat & soluit Episcopus & Presbyter, hoc est ostendendo. Quod & planiùs postea exprimitur, cùm dicitur, eos scire qui sunt ligandi & soluendi. Cooperatio autem illa, quam subintulit Bellarminus, merum est figmentum, quod in cerebro Cardinalitio cooperante ortum suum habuit. Vere igitur de pontificijs concludam, quod de sui temporis Sacerdotibus eò loci Hieronymus; *Aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumunt, qui talem sibi potestatem arrogant.* Sed de hoc loco quia satis alibi dixi, supersedeo. *Hieron in Mat. 16. Cap 2.*

Profertur tertio loco Innocentius primus. At quis in rebus grauioribus tam turpiter mentienti fidem adhibere potest? Nam Innocentius iste (proculdubio suppositicius) planè & peremptoriè asserit, *Nullum ecclesias instituisse per diversas regiones, nempe Italiam, Galliam, Africam, &c. nisi eos, quos, vel Petrus, vel eius successores constituerunt Sacerdotes. Nec alium Apostolorum à Petro in his Provincijs docuisse.* Num fide illum dignum putemus, aut vllius momenti eius testimonium, qui Scripturas, Patres, Historias tam audacter contravenire ausus sit? Innocentiũ istum producendo innocens non erit Bellarminus, quem hæc mendacia, adeò crassa, latere non potuerunt. *Innocen. 1. Epist. ad Decent.*

Quarto (inquit Bellarminus) *habemus Augustinum.* Et duo profert loca ex homil. 12. & 41. Respondeo; Si homilias istas Augustini esse concederemus: Prior ne specie quidem confessioni clancularię suffragatur. Nam locus plenè descriptus confessionem illam ad Deum pertinere apertissimè ostendit. Altera etiam nullas aduersario suppetias præbeat. Sed quis hasce homilias moratur? Neutram enim eorundem Augustini esse viri inter pontificios doctissimi iudicarunt. Possevinus de omnibus (sex vel septem exceptis) *ambigunt* esse dicit. Theologi etiam Lovanienses, etsi toc non expunxerunt; has tamen Augustini esse non censuerunt. Nec dubito, quin, si eruditus quispiam, Augustini scriptis versatus, hasce legat, de eisdem, saltem de quadragesima prima, cum Erasmo dixerit: *Eandem, nec phrasin, nec eruditionem Augustini, referre.*

Tertius Augustini locus Psal. 66. habetur. *Tristis esto* (inquit) *antequam confiteris, confessus exulta; iam saluaberis, &c.* Respon-

deo; Vbi tandem fuêre Cardinalis oculi, quando istum locum pro confessione auriculari protulit? Nam tota pars illius enarrationis de confessione Deo soli facta loquitur. Vt videat Lector, tum ex antecedentibus, *Times Deo confiteri, ne confessum damnet?* Tum etiam ex sequentibus; *Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes.* Hinc etiam argumentum efficax contra confessionem pontificiam conficitur. Confessio Deo facta sanat; ergo confessio homini non est necessaria.

Cap. 5. De Canone 31. Concilij Carthaginensis, 3. satis me dixisse arbitror. Idcirco de Augustino, eundem appobante, non opus est vt vlterius respondeam.

Vltima loca, Augustini nomine adducta, in libro sunt de vera & falsa pœnitentia. Sed istum librũ Augustini non esse, multi & docti pontificij ostendunt: Nec hoc faciunt levibus coniecturis, sed rationibus gravissimus adducti. Nempe *quia non fit ullius mentio in retractationibus Augustini, vel indiculo Possidij. Deinde quia refert Augustini sententiam & ab ea dissentit.* Quocirca non miror Cardinalem timidè eum intulisse, & subintulisse, *Non videtur S. Augustini esse.* Hoc autem mirum esse arbitror, aliquẽ tam inverecundæ esse frontis, quàm ipse est Bellarminus, qui alibi apertè scribit; *Liber de vera & falsa pœnitentia non est Augustini:* Et tamen illum, hoc in loco, Augustini nomine, quasi testem idoneum producit. Magna testimoniorum penuria laboravit, qui vnum tantùm locum, ex tot Augustini voluminibus, adducere potuit, eundemq; confessionem Deo factam, non homini vrgentem. *At negari non potest* (inquit Bellarminus) *quin sit alicuius probati authoris, cum inde Gratianus & Pet. Lombardus multa testimonia in libros suos retulerint.* Respondeo; Hæc ratio nihil habet virium, ad probandam authoris, vel antiquitatem, vel authoritatem. Namcùm literæ per multos annos crassis tenebris iacuissent: partus infælices vno aut altero seculo obtinere potuerunt, quibus etiam scholastici, in lucis dubiæ crepusculo, facilè fallerentur. Nec rarò falsos esse, non solùm scriptis spuriis, sed etiam hæreticis, ipse Bellarminus fatetur. De Gratiano Melchior Canus ita scribit. *Quo in errore, non solum vulgus, sed Gratianus etiam versatus est, vt librorum deceptus imitibus, crederet omnia, quæ Hieronymi & Augustini nominibus inscripta erant,*

Theologi Louanienses. Angelus Rocca. Tritbem. Abbas.

Bellar. de Eccles. scriptor.

id est in Psal. 65

M. Canus. Loc. theolog. lib. 11. ca. 6.

rant; Hieronimi, Augustini, verè etiam esse. Nequeo sanè sine dolore eorum temporum infælicitatem animo agitare. Nam cũ Lombardus, Gratianus, & reliqui scholastici patres, sine iusto examine, & judicio amplecterentur, Augustinum præcipuè (quẽ meritò superiora secula, cùm propter pietatem, tum etiam eruditionem insignem, celebrarunt) loco Patrum non rarò in impostores inciderunt, vnde novam nobis theologiæ effigiem procuderunt.

Quintò (inquit Bellarminus) *habemus Leonem*, Epistola 80. *Cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare confessione secreta, &c. Et paulo infra; sufficit illa confessio, qua primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, &c.*

Respondeo; Leo huisce verbis nihil contra nos, nihil pro pontificijs habet. Duo enim hic præcipue desunt, quæ ad confessionem auricularem asserendam desiderantur. Primò hæc Leonis locutio est comparativa. Confessionem enim publicam dum exterminare, & eius dignitatem extenuare studebat: priuatæ (vt ita dicam) sufficientiam, non necessitatem prædicauit. Idcirco dicit confessionem secretam sufficere, necessariam esse non dicit. Deinde particularem peccatorum enumerationem non vrget: sed eorum tantùm reatuum, qui conscientiæ sint onerì.

Habemus (ait Bellarminus) *præterea aliud Leonis testimonium* Epist. 91. *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ; & qui regenerationis donum vio lassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum perueniant. Sic diuinis præsidijs ordinatis, vt indulgentia Dei sine supplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri. Hæc loco* (inquit Bellarminus) *S. Leo apertissimè docet, confessionem esse necessariam iure diuino. Nam à Deo ordinatam esse scribit, vt indulgentia Dei, sine Sacerdotum ministerio, nequeat obtineri.* Respondeo; Non doceatur. Sed dicit Leo, peccatores per pœnitentiam, quâ se iudicio proprio condemnant, ad remissionem peruenire. Dicit quidem à Deo ita esse ordinatum, vt indulgentia Dei, sine Sacerdotum ministerio, nequeat obtineri. Sed quale tandem est illud ministerium? Num absolutionis? Nequaquam, sed supplicationis. Sicut etiam epistola superiore dixit, *sufficit illa confessio, qua primùm*

mum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Ecce Leo absolutionem pontificiam non cognouit. *At* (inquit Bellarminus) *Leo addit, ministerium Sacerdotis in eo consistere, vt confitentibus pœnitentiam iniungat, &c. Loqui autem S. Leonem de confessione secreta, & peccatis omnibus, etiam occultis perspicuum est, tum ex loco superiore, tum etiam, quia non possunt congruam pœnitentiæ actionem iniungere, nisi peccata omnia accurate cognoscerent.* Respondeo; Expectabam Leonem addere voluisse, ministerium Sacerdotum in eo solùm non consistere, vt actionem pœnitentiæ iniungerent confitentibus: sed vt absolutionem potius illis impertirentur. Quæ est pontificiorum Diana. Deinde non est perspicuum ex loco superiore, Leonem loqui de peccatis omnibus, etiam occultis, vt superiùs ostendimus. Altera etiam Bellarmini ratio est invalida ad huius probationem. Nem actio pœnitentiæ (quæ & apud nos viget) iniungi potest pœnitentibus, secundùm qualitatem vnius aut plurium peccatorum, quæ delinquentes confessi sunt; etsi omnia peccata sua non confiteantur.

Sextò (inquit Bellarminus) *habemus Sozomenum histor. lib. 7. cap. 16. Cum prorsus non pectare natura sit humana diuinioris. Pœnitentibus, quamvis frequenter delinquissent, veniam dare Dominus iussit. Et ad impetrandam veniam confiteri peccata necessarium est. Hic* (inquit Bellarminus) *audi ab homine Græco & ius diuinum, & confessionis necessitatem.* Respondeo; Hic certè veniam dandi ius divinum habemus, non autem confitendi, quam & constitutionem ecclesiasticam, humanam esse ex ipso Sozomeno constat. At confiteri peccata Sozomenus necessarium esse asserit. Verum est. Sed non necessitate absoluta, at tantùm conditionali, & quæ ad conuenientem rei statum (vt loquuntur) pertinet. Quod ita esse perspicuè apparet: quia Nectarius illam cõfessionem abrogavit; nec à Sozomeno igitur, aut alijs, vt divini juris violator reprehenditur.

CAP. 10.

CAP. 10.

Testimonia Patrum reliquorum ab anno 500. ad 1200.

HÆC testimonia Patrum, nempe septingentorum annorum Bellarminus vno in capite complectitur. Certè quoniam ea apud eruditos parvæ existimationis esse cognouit. De quibus dicam quod de Euthymio Bellarminus. *Non est hac in re vsq; adeo magni faciendus; nam est omnium recentissimus.* Languescentibus enim literis (quarum eclipsis post seculum sexcentesimum in deterius quotidie progressa est) nemini mirum esse potest, si corruptelæ, & inventiones humanæ authoritatem aliquam consequutæ sint. Nec desunt doctissimi, qui eas ita consequutas esse testantur. Illud mihi confessioni contigisse videtur, quod olim signo crucis. Cum, propter Christi mortem ignominiosam, crux apud Paganos in ignominia esset, Christiani, quò ignominiam depellerent, eiusdem signaculo vtebantur, vt palam fieret se crucis Christi non pudere: vnde temporis progressu, illo signaculo, non ad significandum, sed ad sanctificandum homines superstitiosi abusi sunt. Ita confessio, quæ ad evitandum Paganorum scandala, à Christianis in persecutione lapsis fuscepta est, regulæ tandem generalis authoritatem, imò sanctitatis opinionem adepta est. Quapropter, sicut testes horum temporum vel minimè habeant authoritatem. Ita breuiter illis respondere constitui. Et tamen aliquid, vt appareat, adversarium, etiam ex colluvie testimoniorum, vix aliquid ad causæ suæ defensionem attulisse. Habemus (inquit Bellarminus) post annum 500 Gregorium primum. *Videndum est* (inquit) *qua culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam. Vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur iudicis.* Respondeo; Hæc verba habet Gregorius de peccatis publicis, quæ censuras etiam publicas subierunt. In quo casu, ante peccatoris absolutionem, ratio suadet, vt ejus pœnitentia innotescat. Et hoc ita esse, verba præcedentia ostendunt. *Horum* (id est discipulorum) *profectò nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atq; solvendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.*

Bellar. de sanct. Bea. lib. 1. ca. 4.

Greg. hom. 26. in Evang.

tur. Hæc Gregorius. At hunc gradum inferioris conditionis ſacerdotes nec olim obtinuerunt, nec iam obtinent, ſed Epiſcopi tantùm. Idcirco hoc Gregorij teſtimonium ad confeſſionem clancularium confirmandum fruſtra adducitur. Illud autem obſervatione dignum; Nempe quòd *abſolutio præſidentis æterni iudicium ſequitur iudicis.* Hoc enim pontificiorum ſententiæ opponitur, qui Dei veniam in cœlo, Sacerdotis ſententiam in terra conſequi affirmant. Affert præterea Bellarminus alia Gregorij verba confeſſionem ſuadentia, ſed nihil ad propoſitum. Nam eò loci, de qua confeſſione loquitur, non conſtat.

Climacus in lib. Climax. grad. 4.

Poſt Gregorium adducitur Climacus, qui eodem ſeculo floruit. At huius teſtimonium aut iudicium nos parui pendimus. Qui eodem libro veritati tam abſona tradit. Quale & illud in eodem capite, nec fine præfatione. *Rem dicturus ſum mirabilem, ſed vide omnino ne hæſites: Cuius habeo ſententiæ Moſen patronum. Expedit in Deum magis peccare, quam in patrem noſtrum.* Recte igitur Dionyſius Carthuſianus; *Ubi dicit Moſes iſtud? Imò in nullo librorum eius inveniturr.* Et addam ipſe contrarium in Scripturis ſacris reperitur.

Hæc eſt ſpiritualem ſacerdotem.

Dionyſ. Carthuſ. comment. in Climac.

Poſt annum Domini 600, habemus (inquit Bellarminus) *Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem, qui in homilijs 6. 7. 8. 9. 10. ad confeſſionem peccatorum hortatur.* Reſpondeo; primùm nec de tempore hujus Epiſcopi, quo vixit, nec de homiliarum authore, qui eas ſcripſit, apud eruditos conſtat. Ad Epiſcopum quod attinet: Baronius illum dicit circa annum 500 floruiſſe. Bellarminus ait poſt annum 600. Eiuſmodi etiam homiliarum ortus, *dubio genitore creata.* Quædam enim earum apud Auguſtinum, quædam apud Euſebium Emiſſenum, quaſi illis & Cæſario propriæ, habentur. Deinde ſi genuinæ eſſent, nihil ex eiſdem à Bellarmino citatur, quod confeſſionis vel ſpeciem, vel neceſſitatem euincat.

1. Sam. 2. 25.

Baron. Annal. Tom. 1. ad Ann. 34.

Poſt annum 700. venerabilis Beda. Qui hortatur, *vt grauiora lepræ immunditiam, iuxta legem, Sacerdoti pandamus.* Reſpondeo; Liceat mihi pace viri venerabilis dicere, diſtinctionem illum adhibuiſſe (nimirum *peccata quædam coæqualibus eſſe confitenda, quædam Sacerdotibus*) quæ in contextu nullum fundamentum habet. Deinde hoc notandum, Bedam eò loci dicere, *quotidiana & lenia peccata alterutrum coæqualibus confitenda. Eorum quotidiana*

Beda Comment. in Iacob. 5.

quotidiana oratione credamus salvari. Quod est prorsus contra pontificiorum sententiam, qui confessionem & absolutionem Sacerdotis officio tam arctè astringunt, vt laicis nullo modo deferantur. Postremò Bedæ phrasis (*Si infirmi in peccatis sunt*) quando de confessione Presbyteris faciendâ loquitur, confessionem consolationis vrgere videtur.

Eodem seculo Theodorus Studytes Platonem laudat, quòd *peccata sua Sacerdoti frequenter, & diligenter confiteri consuenit.* Respondeo; Etsi factum laudat, de iure tamen, præcipuè de necessitate, factum esse non dicit.

Post annum 800, citatur Rabanus Maurus Episcopus Moguntinus; quasi confessionem auricularem, vt necessariam, vrgeret, quam ita esse nunquam illi in mentem venit; qui capite 17. loquitur. *Quodsi, verecundia retrahente, revelare coram hominibus erubescas peccata tua. Illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere, tibi soli peccavi.* *Rabanus. lib. 7. in Eccles. cap. 7.*

Eodem seculo Nicephorus Cartophylax. In Epist. ad Theodosium. *Omnes oportebat ad ipsos pontifices accedere, suaq; illis occulta prodere. Et sic vel reconciliationem, vel repudium ferre.* Quod officium dicit *ad monachos transmissum esse.* Respondeo; hic dum epistolæ fragmentum tantùm habeamus, viri iudicium non facilè coniectare possumus. Deinde Nicephorus iste consuetudinem profert, cuius superioribus seculis nullum vestigium reperitur; nempe confessionem illam ad pontifices solos pertinuisse. Postremò modus reconciliationis, an per confessionem fuerit privatam, aut per disciplinam publicam, non narrat.

Post annum 900. Radulphus Flauiacensis lib. 3. in Leuit. c. 7. *Dignum est* (inquit) *vt qui peccatorum suorum confessionem facit, consummet ea omnia, quæ ad memoriam revocare potest, Domino pandens: non alia prodens, alia abscondens.* Sed quid hæc ad Confessionem auricularem? Radulphus enim peccata Domino pandere hortatur, non Sacerdoti. *Radulphus Flaviac.*

Post annum 1000. Petrus Damianus sermo. De S. Andrea. *Quartus gradus* (inquit) *est confessio oris, hoc verò faciendum est.* Respondeo; primùm. En testem qui post annum Domini millesimum vixit. Deinde en authorem qui nullibi (vti reor) nisi apud Surium, nullius ferè fidei virum, reperitur. Ille enim *omni ex ge-*

Mat. 13.47.48 *nere piſcium in ſagenam ſuam cogens*, non, vt Euangelio dicitur, *bonos in vaſa colligit, malos foras mittit*; ſed omnes ſine diſcrimine, quaſi ſalubres, ſimul reponit.

Idem Epiſtola ad Deſiderium, de miraculis ſui ſeculi, refert (inquit Bellarminus) *inſigne exemplũ*. Reſpondeo; Benè dixit Cardinalis, *ſui ſeculi*. Illo enim multas ineptias in eccleſiam irrepſiſſe, multas fabulas fidem apud credulos obtinuiſſe, certum eſt. In hac etiam narratione ad veritatem confirmandam quædam deſiderantur; hiſtoriæ fides, conſitentis honeſtas, Abbatis Cluniacenſis integritas. Hæc benè vidit ille, qui epiſtolas eas edidit. Idcirco, vt fabellam aliquo modo communiret, in illius epiſtolæ margine hæc verba poſuit. *Abbas Cluniacenſis, haud dubium, quin Hugo fuerit ſanctitate clarus.* Si autem hoc alicui dubium erit, evaneſcit Bellarmini teſtimonium.

Poſt annum Domini 1100. Bernardus in ſerm. ad milites templi Cap. 12. *Quid* (inquit) *de Bethphage dicam, vbi & confeſſionis ſacramentum, & Sacerdotalis miniſterij myſterium continetur? Et quidem verbum in corde peccatoris operatur ſalutiferam contritionem: verbum verò in ore noxiam tollit confuſionem, ne impediat neceſſariam confeſſionem. Hic habemus* (inquit Bellarminus) *primò, confeſſionem ſacramentum eſſe, ac proinde iuris diuini. Secundò neceſſariã eſſe ijs, qui cordis compunctionẽ videntur adepti. Tertiò Sacerdoti eſſe faciendam, & ab eodem abſolutionem eſſe expectandam. Eſſe autem omnia peccata confitenda docet idem Bernardus ſer. 16. in Cantica his verbis, Omne quod conſcientiam remordet, confitere humiliter, puré, fideliter.* Reſpondeo; prima Bellarmini collectio non eſt ſolida. Confeſſio enim (quam etiam ipſi pontificij partem tantùm ſacramenti faciunt) non poteſt aptè ſacramentum appellari. Deinde Bernardus (ſicut illo antiquiores (ea appellat ſacramenta, quæ propria loquendi forma non ſunt; vt opus redemptionis ab illo ſacramentum appellatur. Præterea, ſi concedamus eam eſſe ſacramentum, non tamen ſequitur, juxta quorundam ſcholaſticorum ſententias, eandem eſſe juris diuini. Illi enim fatentur, quædam in Eccleſia Romana ſacramenta eſſe, quæ à Chriſto inſtituta non fuerunt. Altera etiam collectio Cardinalis cauſæ pontificiæ non aſtipulatur. Nam cõfeſſionem Sacerdoti faciendam ab ijs concedimus, qui acerbiorem

Bernard ſup. Cant. ſer. 78.

rem cordis contritionem patiuntur, vel vt ille poſtea loquitur, quorum peccata *Conſcientiam remordent*. Hæc eſt enim confeſſio conſolationis. Nec inde ſequitur, omnium peccatorum confeſſionem eſſe neceſſariam.

Hugo de S. Victore (ait Bellarminus) *explicans illud Iacobi. 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, vt ſalvemini; monet ideo dictum eſſe confitemini vt ſalvemini, quia non ſalvamur, niſi confiteamur.* Reſpondeo; Diſputat ibi Hugo confeſſionem valdè eſſe vtilem. Non autem omnibus neceſſariam. Eodem enim capite hæc verba habet, *Medicis dixit vt curarent: infirmis non dixit, vt ad medicos venirent.* Vbi planè docet quòd confeſſio auricularis nullo præcepto divino nitatur. *Hugo de. S. victore. lib. 2 par. 14. cap. 1.*

Poſtremo loco Richardus de S. Victore. lib. de poteſtate ligandi & ſoluendi cap. 4. *Confeſſionem* (inquit Bellarminus) *ex Scripturis probat.* Reſpondeo; Bellarminus Richardo iniuriam infert: dum illum confeſſionis clancularię fautorem adducit, qui de confeſſione Deo facta loquitur, illud Pſalmi teſtimonium citans, *Dixi confitebor Domino, &c.* Et apertè dicit, *Iniquitatem peccati ſtatim ad veram animæ contritionem remitti*, qua ſententia confeſſionis neceſſitatem ablegauit. Pſal. 31.

Sicut ex hiſce patrum teſtimonijs non oſtenditur, confeſſionē auricularem, vel iure diuino fundatam, vel antiquis Patribus probatam: Ita illud ex multis pontificijs oſtendi poteſt. Beatus Rhenanus aſſerit, confeſſionem clancularium, *tempore Tertulliani incognitam, ex confeſſione vltronea natam, nec vſquam olim præceptam fuiſſe.* Eraſmus ita ſcribit, *Apparet Hieronymi tempore nondum inſtitutam fuiſſe ſecretam admiſſarum confeſſionem.* Sed quid ego de Tertulliani aut Hieronymi temporibus loquor, cùm eadem nuperis etiam ſeculis divinam authoritatem non obtinuerit? Lombardus dicit, *confeſſionem Deo factam quibuſdam ſatis viſam eſſe.* Gratianus ait, *Multos religioſos aſſerere, confeſſionem divini iuris non eſſe.* Gloſſator dicit, *Melius dicitur à traditione, quàm vel ſub lege, vel à Chriſto, vel ab Apoſtolis Chriſti inſtitutam eſſe.* Imò fatetur Maldonatus, *Omnes decretorum interpretes putare, nullum eſſe præceptum divinum de confeſſione.* Denique ſi ex patribus probari poſſet antiquiorem confeſſionis vſum fuiſſe: Inde tamen argumentum aſſumi nequeat, quo eam diuinitus

B. Rhenan. in Tertul. de penitent. anno dom. 200 circa annum. 400. Eraſ. Annot. in Epitaph Fabiol. Circa ann. 1140 P. Lomb. ſent. lib. 4. diſt. 17. Circa ann. 1120 Grati de penit. diſt. 5. Maldon. in. ſum. qua. 18. art. 4.

nitùs esse probetur. Nam multa fuisse in Ecclesia, & antiquissima & æquissima, quæ divinam authoritatem nunquam vendicarunt, obtinuerunt, historiæ Ecclesiasticæ testantur.

CAP. 11.

Chemnitij solutiones ad loca Patrum defenduntur.

CVM Martinus Chemnitius, ad faciliorem disputationis aditum & veritatis investigationem, Confessionem in quasdam species distribuisset: Bellarminus cautè animaduertens, hanc Chemnitij tractationem, structuram suam, sententijs patrum & Scripturę malè fabricatam, demoliri; ad ejusdem confutationem se accingit. Et primò illum mendacij arguit, quia dicit, *confessionem, quæ Deo fit, in Ecclesia Catholica negligi. Nam inprimis* (inquit Cardinalis) *confessio generalis quotidie recitatur à sacerdote & populo; eadem etiam, horis Canonicis, à toto clero, bis in die pronunciatur. Deinde, confessio quæ Deo fit, includitur in contritione. Deniq́, confessio, quæ Deo fit, includitur in confessione quæ fit sacerdoti.* Respondeo; Bellarminus Chemnitium acriùs sine causa adoritur. Ille enim non dicit *confessionem in ecclesia negligi: Sed doctrinam confessionis Deo facienda populo diligenter inculcandam. Vt diligenti examine vitas suas intuentes omnia Deo dicere possint cum diligentia*; (vt loquitur Chrysostomus) vt debiti gravitatem, & periculum ad eorum humiliationem videant. Vtque impensè dei misericordiam implorent. Hanc in Ecclesia Romana Bellarminus non inveniens, confessionem quandam publicam, & generalem inducit, in qua nulla particularis peccatorum inquisitio curatur, nulla confessio auditur, quæ à pijs, tum publicè tum privatim, fieri solebat. Deinde qualis hæc est confessio, quæ lingua peregrina profertur? Rectè dixit Bellarminus *recitatur, pronunciatur*; Hoc est, quædam verba, sæpe sacerdoti, populo ferè semper non intellecta, pśitacorum more, recitantur. Præterea, nonne Cardinalis semetipsum confessionis deo factæ inimicum prodit, dum asserit, eam in *Contritione includi?* Nonne (vt Chemnitius dixit) pro confessione sua auriculari tantùm dimicat? Postremò,

Chrys. in Gen. hom. 10.

Non

Non tam dextrè loquutus est, cùm dixerit, confessionem quæ Deo fit includi in confessione quæ fit sacerdoti. Cum illa enim conjungitur non illâ inc'uditur quando sacerdoti dicitur, *Confiteor Deo & tibi.* Hæc etiam confessio est annua tantùm, quæ sæpius, imo quotidie fieri debet.

Secundò (inquit Bellarminus) *Multa loca Scripturarum & Patrum frustra Chemnitius adducit; quasi nos ea de confessione Sacramentali intelligamus, cùm ad confessionem, qua Deo fit, pertineant. Nullus enim Catholicorum testimoniis illis vtitur.*

Nullusne? Idcirco nec Lyndanus, nec Allanus nostras, nec fortis ille Concilij Tridentini propugnator Andradius, nec Historiarum indagator Baronius vlterius erit Catholicus. Illi enim loca ea & testimonia, quæ de confessione Deo facienda loquuntur, de confessione sacramentali intelligunt. Quid quòd ipse Bellarminus jam desijt esse Catholicus. Nam ille inquam, capite quarto pro Confessione sua sacramentali locum illum Iohannis adduxit: quem attulit Chemnitius, & nos de confessione, quæ Deo fit, intelligendum esse ostendimus. *Ioan. 1. epi. ca. 1. ver. 9. Si confiteamur peccata nostra, &c.*

Tertiò (inquit Bellarminus) *quadam loca huc trahit, quæ apertè loquuntur de confessione qua fit hominibus, & non solis Deo. Talis est locus ille Solomonis, Prou. 28. Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Neque enim vllus est, qui scelera sua Deo se abscondere posse credat, nisi fortè insaniat.* Respondeo; Locus ille Solomonis non apertè loquitur de confessione, quæ fit hominibus, sed de confessione quæ Deo soli fit, Vt Rabanus Maurus, & Holcot exponunt. Vel coram Deo, & in judicio, vt Durandus & Melchior Flavius interpretantur. Et idoneam hujus expositionis rationem attulit Bonaventura: *Nam de ijs loquitur, qui erant tempore [a] legis.* Nec vllius est momenti ratio illa Bellarmini. Tanta enim est *fallacia peccatis peccatorem indurantis*, vt homines ad eam aliquando insaniam adigantur. Cap. 4. Prov. 28. 13. *Rab. Maur. in cordem. Cler. lib. 2. cap. 14. Holc. in locum. Durand. in sent. lib. 4. dist. 17. q. 2. Mel. Flavi. in sent. lib. 4. dist. 17. q. vnica.* [a] *Tunc enim temporis non erat Con. fessorius potestas sacerdotum.*

Nonne [b] Adam *(& crimine ab vno disce omnes)* ita insanivit, quando se & scelus suum abscondere putavit, studujt? Annon eò insaniæ processit ille qui dixit in corde suo, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob?* Præterea, Bellarminus, ex mala translatione, expositionem contexuit non bonam. Nam cùm Heb. 3. 13. [b] Genes. 3. 8. 12. Psal. 10. 11. Ezech. 8. 12.

apud vulgatam dicitur, *non derigetur*; hæc infert; *Quis enim dirigat eum, cuius prauitatem ignorat?* Verba hebræa, (vt benè novit Bellarminus) ita transferri debent. *Qui abscondit scelera sua non prosperabitur. Id est,* (per μείωσιν) punietur. Cui translationi antithesis proximæ sententiæ suffragatur; *Qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur.* Ita etiam [c] Arias Montanus, linguæ hebraicæ peritissimus verbum transtulit. [d] Si autem translatio vulgata probanda esset; scilicet, non dirigetur: Eadem tamen directionem humanam necessariò non induceret. Nam de Deo dicitur, *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Iansenius ingenuè fatetur, *Non vrget hæc sententia, per se accepta, confessionem sacramentalem.*

נתר

[c] *Arias Mont. transtulit.* נתר *prosperabitur.*

[d] *Ita enim Beynam legit. Heb. Paris.* Psal. 25. 9. *Iansen. in pro.* 28. 13.

Tale etiam (inquit Bellarminus) *est testimonium illud Chrysostomi, hom. 3. in Mat. Confessio peccatorum testimonium est conscientiæ timentis Deum. Qui enim timet iudicium Dei, peccata sua non erubescit confiteri: qui autem erubescit, non timet. Nam erubescentia* (inquit) *de qua Chrysostomus loquitur, apud homines locum habet, non apud Deum. Illis enim confiteri erubescimus, quibus arbitramur ignota esse mala nostra, &c.* Respondeo; Testimonium illud incerti authoris, & imperfecti operis, An, de confessione quæ deo fit, aut quæ hominibus, loquatur, incertum est. Ratio autem Bellarmini, vt sit de posteriore, prorsus est infirma. Confessio enim quæ Deo fit, etiamsi illi cognita sint mala nostra, non caret erubescentia, & pudore, vt exemplo publicani videmus, *qui nolebat oculos in cælum leuare.*

Est enim operis imperfecti apud Chrysost.

Luc. 18. 13.

Ier. 31. 19. Esr. 9. 6. Chrysostom. verba habens de confessione Deo facta: Soluit peccata propter confusionem. Serm. de pœnit. & confes. Ambros. de Paradis. cap. 14. Bern. ad mil. templi. Cap. 12.

Egi pœnitentiam, (ait Ephraim) *confusus sum & erubui.* Hoc benè novit Esra vir pientissimus, qui ita Deum affatus est. *Deus meus, confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te, quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt.* Rectè igitur Ambrosius; *Cùm in anima sensum redierit formido diuina, tum erubescimus.* Optimè Bernardus, *Bonus pudor est, cùm omnis arbiter forte absit, Diuinum, tanquam humanum, verecundiùs reuereris aspectum.* Dura certè fronte est, & supercilio pharisaico inflatus, qui, post perpetrata scelera, in conspectum Dei sine pudore & erubescentia prodire possit.

Quartò (inquit Cardinalis) *solutio Chemnitiana nihil efficit, etsi hæc loca, quæ ipse adduxit, accipienda essent omnia de confessione,*

ne, quæ Deo fit: quia multa alia, à nobis prius citata, nullâ ratione detorqueri possunt ad confessionem, quæ fit soli Deo. Respondeo; multa sanè à Cardinale perperam citata sunt; vt cuivis responsiones nostras intuenti appareat. Sed quorsum hæc Bellarmini redargutio? Chemnitius enim non dixit, omnia apud patres loca, de confessione, quæ fit Deo, intelligenda esse. At tantùm dicit, quædam sunt de confessione, quæ Deo fit; quorum tamen plurima ipsi pontificij ad confessionem auricularem detorquent.

Secundum genus confessionis est, cùm aliquis proximum læsit, & crimen huic confitetur. Sed hæc solutio, ait Bellarminus, *nihil omnino ad rem nostram facit.* Certè: At ad rem Chemnitianam facit, qui confessionem in suas species distinguit, vt disputationem suam meliùs prosequatur.

Tertium genus confessionis est, quod fit ministro, generatim tantùm; aut peccati alicuius particularis conscientiam pungentis. Ad hanc confessionem demonstrandã, Chemnitius varia Scripturæ sacræ testimonia attulit: *Sed quæ nihil ad rem faciunt* (inquit Bellarminus) *cùm omnia, vno excepto, de confessione illa tralleant, quæ erat in vsu, antequam confessio sacramentalis institueretur.* Sed malè Bellarminus agit, dum inter confessionem sub lege & Evangelio distinguit. Quid enim illi defuit, quod in hac reperitur? Annon Nathan Davidem confessum absolvit, dicens, *Dominus transtulit peccatum tuum?* Deinde cùm de confessione sacramentali loquitur, petit quod in controuersia positum est. De cujus institutione antiqui non loquuntur, nec inter pontificios convenit. 2. Sam. 12.

Quartum genus confessionis (cui & alia referantur) est publica. De quo confessionis genere Bellarminus dicit, *se antea dixisse, & postea dicturum esse.* Quid autem dixit, videat ibi Lector; & judicet. Cap. 6. & 7. 13. & 14.

Postremum genus confessionis est, *cùm quis peccata sua sacerdoti secretò confitetur. Non quia illud iure divino est necessarium, sed quia vtilis est disciplina.* Huic tria respondet Bellarminus. *Primum, Chemnitium planè invitum ad hanc solutionem descendisse.*

Respondeo; Non hoc invitus fecit, sed quia narrationis, & disputationis ordo ita postulavit. Nam sicut confessionum genera

nera distinguere conveniebat, vt vanitatem pontificiorum ea commiscentium ostenderet: Ita vltimo in loco extremum illud ponere, quod apud antiquitatem inveniri posset.

Secundo obseruandum est (inquit Bellarminus) *Chemnitium asserere, confessionem aliquorum peccatorum sacerdoti, tanquam vtilem esse disciplinam: negare autem, omnium peccatorum confessionem iure diuino esse necessariam. Id quod asserendo proponitur, libenter admittimus: sed quod negando assumitur id omnino falsum esse dicimus; & à Chemnitio non est probatũ.* Respondeo; primùm Bellarminum illud admittere, quod ipse non facilè probare posset, minimè miror. Deinde Chemnitij non erat negativum probare. Affirmativum potius à pontificijs probandum restat. Et tamen Chemnitius ex Cassiano, ex Chrysostomo, & alijs, tum hoc in loco, tum etiam alijs satis luculenter probavit.

Tertiò (inquit Cardinalis) *obseruandum est, Chemnitium in his non acquieviſſe, sed addidiſſe, Inveniri alicubi apud patres sententias duriores, quæ ad necessitatem confessionis inclinent: sed ijs opponendas esse alias patrum dissimiles sententias.* Respondeo; primùm, Chemnitius non asserit tales sententias inveniri: sed (ex hypothesi) *si inveniantur*, ejs opponendas esse alias. Et certè jure aliquando, in alijs controversijs, opponi possunt, saltem geminæ suppositijs, antiquiores neotericis. Deinde nullas adhuc sententias, vel ipse Bellarminus, vel alij pontificij invenerunt, quæ confessioni pontificiæ patrocinantur.

CAP. 12.

Cardinalis argumenta, è rationibus quibusdam petita, discutiuntur.

PRima (inquit) *ratio duci potest ab antiquitate confessionis. Nam quæ humani iuris sunt, initium suum ab aliquo Concilio, vel summi pontificis decreto habuerunt. Sed confessio huiusmodi initium habuisse non invenitur. Patres enim varij, qui concilia omnia, & sanctiones pontificum antecesserunt, vt Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, locis citatis, eandem olim in Ecclesia fuisse ostendunt.* Respondeo; Negatur propositio. Inveniat, si poterit, Bellarminus à quo Concilio, vel summi pontificis decreto coactus ministrorum cælebatus initium suum habuit. Faterur enim ille, *eundem iure diuino sacris ordinibus non annexum esse.* Et

Bellar. de Clericis. lib. 1. cap. 18

tamen

tamen à quo concilio, aut ſummi pontificis decreto initium ſuũ habuit, idem, vt opinor, nunquam dicturus erit. Verè dixit Cicero; *Nihil eſt, quod non longinquitas temporis efficere, atq; aſſequi poſſit.* Quis etiam tam nullius eſt lectionis, vt non optimè intelligat, multa in eccleſia Romana, longa conſuetudine temerè approbari, quæ huiuſmodi originem non habuerunt? Si ratio Bellarmini aliquid valeat, quicquid vnquam fuit anili ſuperſtitione ſuſceptum, quicquid obſervatione diuturna confirmatum, illud jus divinum obtinebit. Deinde quod aſſumit Cardinalis vanum eſt. Nam licèt illi patres, quos recenſuit, &, longè ante eos, ſcriptura ſacra de confeſſione loquuntur. Non tamen de clancularia illa pontificiorum, vt ſupra oſtendimus. Cicero de diuinat. lib. 1. cap. 4. & 6.

Secunda ratio (inquit) *ſumitur à difficultate. Nam ſiqua res eſt, in eccleſia catholica, quæ gravis ac difficilis videatur, confeſſio eſt. Quid enim moleſtius? quid oneroſius? &c.* Reſpondeo; Si hæc ratio aliquid habeat ponderis, Phariſæis non deeſt, vnde ſectam ſuam fortiter defendant. Illi enim anguſto more vivebant, duriſſima & difficillima ſubeuntes; non pectora ſolùm (vt ille publicanus) *ſed capita etiam, vſq; ad ſanguinis effuſionem tundebant.* Luc. 18. 13. Narrat etiam Hieronymus, *eos acutiſſimas ſpinas in ſimbriis ſuis legaſſe, vt ambulantes & ſedentes interdum pungerentur, & quaſi hac admonitione retraherentur ad officia Domini.* Hieron. in Mat. 23. Imò in hoc certamine Prophetæ Baal palmam facilè ferent. Illi etenim orantes *incidebant ſe, iuxta ritum ſuum, cultris & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* 1. Reg. 18. 28. Quid hiſce ritibus grauius? Quid difficilius? Et tamen quid vanius? Ita ſanè pontificij onera gravia, ſed non à Domino impoſita, ſine præcepto, ſine præmio ſuſcipiunt. His etiam omnibus dicet tandem Dominus, *Quis quæſiuit hæc de manibus veſtris?* Apage igitur, Bellarmine, cum ἐθελοθρησκείᾳ veſtra, quæ *in humilitate & læſione corporis conſtat.* Quod etiam ſequitur, *Divinam fuiſſe authoritatem, qua principes & reges potentiſſimos ſeſe huic conſtitutioni ſubmittere cogeret*, eiuſdem eſt farinæ. Nam vt Phariſæi, ſub prætextu pietatis, poteſtatem *grauia onera & importabilia alligandi, & in humeros hominum imponendi* adepti ſunt: Ita nemini mirum ſit, ſi *gentes & Reges, qui de vino fornicationis meretricis Babilonicæ biberint*, conſtitutioni huic & illius ſimilium ſuccubuerint. Esa. 1. 12. Cultu voluntario Colo. 2. 23. Mat. 23. 4. Apoc. 18. 3.

Tertia ratio (ait Bellarminus) *ducitur ab vtilitate. Sive Deum consideremus, sive Sacerdotes, sive ecclesiam universam, sive fideles singulos, undiq; insignis confessionis vtilitas se ostendit.* Respondeo; Etsi fortasse fructus aliquis ex confessione, quæ fit hominibus, ad ecclesiam accederet, si eadem piè & prudenter tractaretur: Non inde tamen sequitur, eam iuris diuini esse. Optimè enim nouimus, multa salubria in Synodis & Concilijs fuisse constituta, quæ tamen authoritatem diuinam vendicare non audeant. Sed confessio auricularis, sicut olim, & hodie in ecclesia Romana exercetur, nullam vel Deo, vel hominibus vtilitatem afferat. Inprimis in Deum omnipotentem est iniuriosa. Nam cum Deus, ex infinita sua clementia, hominem peccato ab eo alienatum verbi sui ministerio reconciliari voluit, iuxta illud S. Augustini, phrasi Apostolicà loquentis, *Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur*; Et ad hunc finem *dedit servis suis mysteriorum administrationem, posuit q; in illis ministerium reconciliationis*: pontificij iniquissimè hoc verbum reconciliationis, confessionis suæ tantùm anteambulonem constituunt. In hac insania, Romanenses Trojanis mihi similes videntur, qui sepulchrum Laomedontis, forte ciuitatis præsidium demoliebantur, vt equum ligneum fatale illius excidium introducerent. Ad quos igitur illa Christi reprehensio aptissimè quadrat. *Irritum feciſtis mandatum Dei per traditionem vestram.* Deinde, non est in deum valdè injuriosum, vt, quod illi proprium est, nempe peccatorum condonatio, homuncio aliquis sibi jure suo assumat? Secundo loco confessionem auricularem Ecclesiæ Romanæ vtilem esse concedo. Et eam multorum scelerum Pandoram extitisse quis ignorat? Non omnino dubito, quin vt Ephesij nonnulli hallucinati de Diana sua cogitarunt, nempe eam à *Iove delapsam esse*; Ita quidam pontificiorum fascinati, clancularium suam confessionem, tanquam à Deo prouenientem, venerentur. Aſt alij qui commoda ex eadem emergentia contemplantur, vafrè cum Demetrio clamitant, aut saltem secum tacitè cogitant *Periculum esse, ne portio ista nobis per eum confutata pereat.* Sed vociferentur omnes, quantum volent; &, vt viri illi Ephesini de Diana sua, clamitent; *Magna est Diana Ephesiorum*, ita magna est confessio pontificiorum; Sapientes tamen omnes, vel quibus

1.Cor.4.1.

2.Cor.5.18.

Mat.15.6.

Act.19.34.

Act.19.27.

mica

mica est judicij, eandem esse (vt fuit illa Diana) merum idolum, pontifici maximo charum, at Deo optimo maximo invisum perspiciant. Sicut Harpagus *sub venationis specie dolum occultabat:* Ita pontificij, pietatis prætextu fallere conantur. De pietate garriunt; de majestate, quæstu, copijs cum Demetrio cogitant. Populum in peccata graviora, sine fræno confessionis prolapsurum obtendunt. Sed dicam, vt in re non dissimili dixit Augustinus; *Hæc vox pietatis est excusatio iniquitatis.* Hinc enim pontificij pompam suam mirificè auxerunt. Hinc tyrannidem suam stabiliendi ansam arripuerunt. Hinc reges sub eorum jugo & ditione tenere didicerunt. Hinc sancta fana in lupanaria profana mutaverunt. Hinc subditi regum, liberi parentum, vxores conjugum, serui Dominorum, amici amicorum, pontificij omnium proditores facti sunt. *Non hospes ab hospite tutus, non socer à genero,* dum homines timidi secreta, & occulta aliorum, reticenda publicarent. Nec in factorum confessione acquieſcunt: sed etiam ad cogitationum latebras penetrant. [a] Imò confitentes non de proprijs tantùm peccatis, sed de parentum, & Dominorum dictis, factisq; interrogant. Vt, si quid Reges, aut Respublicæ æqui & justi, contra iniquissimam pontificiorum tyrannidem, moliantur, cogitent; pientissimos eorum conatus citò supprimant. [b] Cui tandem diviti moribundo, confessionis & absolutionis beneficio, non persuaserunt, vt in gazophylaceum Romanum aliquid conijceret? Hinc hominibus impuris opportunitas matronas constuprandi, vitiandi virgines, & in cœno Veneris, cum lutulento sue volutandi. Hoc facetè & tacitè ostendit olim Castilio, natione Italus, & rerum Romanarum peritissimus, in Confessario suo, cujus quinq; talenta alia quinq; superlucrata sunt. Hoc planè Marsilius Patavinus, ante annos ducentos, notavit. *Quoniam* (inquit) *sacerdotes confessionis titulo mulierum habent persæpè secreta colloquia; & quia facilè seducibiles sunt, sacerdos ipsarum mores & pudicitiam facilè corrumpere poterit ---- quod etiam his temporibus, propter sacerdotum qualitatem, evenire videmus.* Nec obscura est Alvarij Pelagij quærela; *Sæpe* (inquit) *cum parochianis mulieribus, quas ad confessionem admittunt, scelestissimè fornicantur.* Multos non dissimiles fructus confessionis pontificiæ recensere possem,

Iustin. lib. 3.

Nec aliter ut-cere queunt, nisi quòd de virtutes virtutum quadam simil tudine mentiantur. Bern. in Cant ser 64.

Aug. in psal. 38.

[a] *Arnold. Consil. in Parl. Paris. act. Iuly 13. 1594.*

[b] *Hanc proxim Galfridus Chaucer elegantissimus sui temporis poeta facetè notavit Prolog. descrip fratris.*

B Castil. de Aulico.

Mar Patau. defens. pacis par. 2. cap. 17.

Alu. Pelag de planctu Ecclesiæ lib 2 cap 27. art. 14.

ſed pudor narrationi moderatur. Non malè igitur dixit illè apud Acoſtam; *Optimè conſultum iret Indicis, ſi confeſſionis obligatio tolleretur.* Quis deniq; tam ſine oculis, vt non videat, confeſsionem auricularem in iocularem mutari? Quod Alphonſus Salmeron de confeſsione generali ſcripſit, de hac particulari rectè dici poteſt. *Homines abſq; freno in peccata prolaberentur, ſi tantummodo ſe peccatores accuſando, exiſtimarent ſe pro conſequenda venia ſatis præſtitiſſe.* Nam pene omnes ad veniam conſequendam ſatis ſe præſtitiſſe arbitrantur, ſi ſemel in aurem ſacerdotis temerè effutiverint, aut in Monachi cucullum quædam puerilia effuderint. Hocq; malum non minimum; quòd, vt leproſi ad ſacerdotē miſſi, *inde occaſionem nacti ſunt non revertendi ad Chriſtum, ſed ad quieſcendum in opere ſacerdotis*: Ita ad confitendum accedentes, in opere confeſsionis acquieſcentes, a Chriſto vero reconciliatore arcentur. En vtilitatem; En fructus confeſsionis pontificiæ; vberes ſanè, ſed malos & amaros. Definat ergo Bellarminus vela orationis ſuę in confeſsionis laudes pandere.

Acoſt. de procu. Ind. ſalu. 6. 16.

Alph. Salm. Tom. 11. tract. 18.

Vt colligit Maldonatus Comment. in Luc. 17.

Quarta ratio (inquit Cardinalis) *peti poteſt ex miraculis, quibus variis temporibus Deus teſtatus eſt veram eſſe fidem illam, quam Eccleſia Catholica de confeſſione habet, ac tradit.* Reſpondeo; Quod Bellarmino in pondere rationum defuit, numero proculdubio complere inſtituit. Hinc ille argumentum à miraculis traduxit. Miracula autem ad ſua tempora non duraſſe S. Auguſtinus dicit; ante ſua ceſſaſſe Chryſoſtomus aſſerit. Quæ, etſi in Eccleſiæ primordio, ad confirmationem doctrinæ Apoſtolicæ viguerint: Seculis tamen poſterioribus non ita neceſſaria eſſe, Gregorius ſimilitudine eligantiſsima oſtendit. *Vt nos* (inquit) *cùm arbuſta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quouſq; iam in terris coaluiſſe videamus; & ſi ſemel radicem fixerint, rigatio ceſſabit: Ita, poſtquam Evangelium radices egit, non opus eſt miraculis.* Quorſum igitur, poſt tot à fundamento Evangelij annorum centurias, miracula inter Chriſtianos ederentur? Deinde non ſunt tanti miracula, ad fidem de confeſsione confirmandam. De qua dicam, quod Andradius veſter de Eccleſia dixit. *Nam cum miracula ſtupendaq; prodigia dæmonum operâ fieri poſſint, falſa profectò hæc ſunt plerumq;, infirma etiam ſemper* * *doctrina vera iudicia.* Hancq; ille ſententiam ab Auguſtino

Auguſt. de vera relig. Cap. 25.

Gregor in Evangeli. hom. 29.

Andrad. defenſ. Concil. Trident. lib. 2.

* *Eccleſiæ vera. Aug. de vera Relig. cap. 16.*

ſtino accepit. Nec ſine ratione. Omnes enim qui Livium, Plutarchum, Tacitum legerint, apud Ethnicos miracula facta eſſe plurima bene norûnt. Pontium & Donatum hæreticos miracula ſua iactaſſe S. Auguſtinus refert. De hominibus etiam impijs, miracula facientibus, Divinæ literæ monuerunt. Haleaſis veſter ait *carnem in ſacramento interdum operatione diabolica apparere.* Num & hoc ad Tranſubſtantiationem veſtram confirmandam ſatis erit? Infinita ferè ſunt apud pontificios miracula, quæ * *ſancta hypocriſis genuit*, ſuperſtitio credula aluit, Eccleſia Romana ornavit. Horum copiam Bellarmino ſuppeditare potuerunt Dialogi (vt appellantur) Gregorij.

Aug. in Iohh. tract. 13. Mat. 7. 22. 2. Theſ. 2. 9. Alex. Hal. par. 4. q. 53. m. 4.

Sic enim Dominicus ſuam & ſuorum hypocriſin appellat. Vincen. Beluac. ſpec. hiſt. lib. 29 cap. 105. Se m. Paraei. Dom. 12. poſt. Trinit.

Verboſi libri Bozij de ſignis, delirantis Lipſij virgo Hallenſis. Sermones Paraei, de dæmone iucundo *ſuper caput mulieris tripudiante, dum in confeſſione vnum grande peccatum celaret*; Vel, quæ inſtar omnium eſt, Iacobi de Voragine legenda aurea. Hæc olim, cùm caligò Ægyptiaca faciem Eccleſiæ obnubilaſſet, apud imperitos obtinuiſſe, quis miratur? At Cardinalem demiratus ſum, qui, in tanta literarum luce, fabulis hiſce vaniſſimis nobis imponere ſtudeat. Non deſunt inter pontificios eruditos, qui in tales fabulas, & fabularum compoſitores invecti ſunt. De quibus dolenter ſcripſit Mel. Canus Epiſcopus Canarienſis; *Noſtri autem pleriq́, vel affectibus inſervunt, vel de induſtria quoq́, ita multa confingunt, vt eorum me nimirum non ſolùm pud at, ſed etiam tædeat.*

M. Canus Loc. Theolog. lib. 11. cap. 6.

Sed vt à theſi ad hypotheſin deſcendam. Qualia, quæſo, ſunt hæc Bellarmini miracula? Primò enim, eorum narrator antiquiſſimus ſexcentiſimo anno poſt Chriſtum vixit: Reliqui ferè omnes poſt annum milleſimum, quando ſuperſtitio efflictim in Eccleſiam invaſerat. Deinde quædam eorum miraculorum à Scriptoribus illis viſa non ſunt. Vt illa Climaci, Bedæ, Petri Cluniacenſis &c. Verè dixit Philo Iudæus, *Oculi rebus ipſis interſunt, & contrectant quodam modo negotia. Aures autem minus fidei habent, quam oculi, &c.* Poſtremò, vt de illis particulatim aliquid dicam. Climacus hiſtoriam narrat de milite, inter cuius confeſſionem, procerum, ait, quendam à ſpirituali quodam conſpectum eſſe, qui ſcriptam chartam, & calamum tenens, omne peccatum, quod à confitente pronunciaretur, calamo delevit.

Phil. Iud. lib. de Iudic. Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem. Plaut. in Trucul.

Hoc mihi legenti in mentem venit illud Romuli, apud Plutarchum; post cujus obitum famâ divulgatum est, illum cœlum advolantem visum esse, *Iulius etiam Proculus, vir nobilissimus, & sanctissimus tactis sacris, in concione iuratus, dixit Romulum iter facienti sibi, specie humana maiore, armis fulgentibus, & corruscantibus ornatum, obviam se dedisse, & se in Deorum societatem relatum dixisse.* Senatus huic applaudit, vulgus gaudio perfunditur. Fuerunt tamen nonnulli, *qui factum in disquisitionem vocarent.* Ita, dum Senatus pontificius hujusmodi fabulis applaudat, & vulgus gaudeat; Non miretur Bellarminus, si nos spiritualis sui viri, sine nomine, nec jurati, narrationem in deceptati nem vocamus. Non nego Bedam fuisse suo seculo venerabilem: Et tamen non dubitavit Canus optare, vt idem *maiorem in delectu narrationum suarum diligentiam adhibuisset.* Et quid alios nobis historicos post Bedam profers? Nam sepulta est cum eo (dicit Malmsburiensis) omnis gestarum pene notitia vsq; ad nostra tempora.

Plutarch. in vita Romuli.

Canus quo supra.

Guil. Malmsbur. hist. Angl. lib. 1. cap. 3.

Antoninus historiam narrat de juvene nobili, qui, ideo quòd peccata sua confiteri noluerit, miserè interijt. At, si hæc vera esset historia, quam lector fabulam esse facilè sentiat; plus ea fidei confessioni pontificiorum non conciliaret, quàm illæ religioni Ethnicorum, apud Lactantium; quæ plagas mirabiles quibusdam inflictas, ob violata & neglecta sua numina, ostendunt.

Lactan. Inst. lib. 2. cap. 8.

Virum, qui Bernardi vitam scripsit, Bellarminus auctorem probatissimum appellat. Et ex eodem fabulam narrat. At quis tam emunctæ naris, qui nullâ fide digna narranti credat? qualis ibi est illa fabula *de Beata virgine, vna cum S. Laurentio & Benedicto comitata, Bernardum, cum ægrotaret, visitante.* Sed quorsum ego lectori, nugas tales vel recitando, tædium afferrem? Cum S. Augustino concludam. *Removeantur ista, vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituũ,* & miraculum in conspectu omnium faciet Bellarminus, si confessionem suam diuini juris esse comprobaverit.

CAP.

CAP. 13.

Lex nulla de confessione ante Innocentij 3. tempora statuta est. 1. Calvini argumentum.

POstquam Bellarminus Scripturæ testimonijs, Conciliorum decretis, patrum suffragijs, & rationum argutijs, confessionem clancularian probare, laborem multum frustra impendit, argumenta adversariorum diluere conatur.

Primum est Iohannis Calvini, qui asserit, *Nullam de confessione statutam esse legem, aut constitutionem ante Innocentij tertij tempora, vt eorum annales narrant. Hoc falsum esse* (inquit Bellarminus) *ex multis nostris argumentis intelligi potest. Extat lex Christi, vt supra copiosè deduximus. Neque opus fuit, vt concilia aut Pontifices id legibus suis præciperent, quod ab ipso Christo imperatum, & multorum seculorum consuetudine roboratum esse noverant.* Respondeo; Si argumenta Bellarmini tam fortia essent, quàm multa; Si legem à Christo latam tam nervosè quam copiosè deduxisset; de confessione dudum pontificia conclusum esset. Quàm dextrè autem illud præstitit, argumenta illius, & responsiones nostras conferendo, dijudicet lector. Illud verò quod sequitur, Non opus fuisse, *vt Concilia id præciperent*, Cardinalis incogitantiam prodit. Quorsum enim ille tot Concilia protulit? Quæ, si confessionem præceperint, id, quod non opus fuit, faciendo, tempus contriverunt. Sin minus, quare illa, quasi confessionem suam præcipientia, citavit? *Innocentius* (inquit) *non simpliciter imperavit, sed solum tempus determinavit, quo ea facienda esset.* Vtq; Platinæ fidem minuat, qui Innocentij institutionem meminit. Negat eum *publica authoritate vitia illa pontificum scripsisse*: Quo summam suam impudentiam indicat. Nam vt illas scriberet Sixtum 5. mandasse, in proœmio suo ad eundē ait. Qui & vltimis ejusdē verbis postulat, *vt lectores illi soli pontifici gratias agant, cui illo imperio eas vigiliæ obtigerunt.* Calvinus confessionis vsum aliquam fuisse agnoscit. Initium autem suum, quoad necessitatem & vsum vniversalem eam (vt Calvinus ait) in Concilio Lateranensi habuisse certissimum est. Nam Gratiani & Lombardi temporibus, qui paulò ante illud vixerunt,

Calvin Instit. lib. 3 cap. 4. §. 7.

Concilio Lateranensi, anno dñi 1215.

Plat. in vita Zepherini.

Platina in præmio ad Sixt. 5.

Vt cap. 10. ostendimus.

vixerunt, & defensores rerum pontificiarum acerrimi extiterunt, rem ab ejsdem in vtram q; partem disputatam legimus. Nec timuit Gratianus asserere, *Multos sapientes & religiosos fuisse, qui confessionem auricularem divino iure fundatam negarunt.* Qui & quæstionem illam, aliquandiu ab illo agitatam, judicio lectoris relinquit. Quod certè nec facere voluisset Gratianus nec debuissent illi religiosi, si eandem, vel à Christo institutam, vel Concilio aliquo generali omnibus imperatam cognovissent, aut cogitassent. Deinde Henricus Harphius Bartholomæum Brixiensem ita dicentem profert, *Melius dicitur, eam institutam esse à quadam universalis Ecclesiæ traditione, potius quàm ex novi vel veteris Testamenti auctoritate.* De quo Bartholomæo scribit Platina. * *Visus est* (id est Alexander Papa) *magna liberalitate erga Bartholomæum Brixianum, doctorem, qui multa in Decretales edidit; Quibus ex rebus, præter doctrinam singularem, & sanctitatem, magnam consequutus est laudem.* Hujus tamen docti, & sancti viri verba * Francisc⁹ Bruno aliquantulùm labefactasse videatur. ª Petrus autem Paulus Philippus, more pontificio, ea penitus expunxit. Cum illis denique Antoninus consentire videtur; Qui sententiam illam, de non confitendo, ante Concilium Lateranense, *non hæresin, sed opinionem fuisse* asserit. Quia non est *explicitè contra aliquem articulum, Licet nunc* (inquit) *post determinationem Ecclesiæ, sub Innocentio tertio factam, hæresis reputanda sit.* Eccè confessionis necessitatem, cujus negatio non est contra aliquem fidei articulum; eccè antiquitatem, de cujus necessitate, ante Innocentij tempora determinatum non fuit.

Mystic. theolog. Hen. Harph. lib. 1. par. 2. cap. 2.

* *Plat. in vita Alexand. 4.*

* *Edition. Ignat. Loiole dicata.*

ª *Editione Sixto quinto dedicata.*

Anton. Sum. par. 3. tit. 9. cap. 13.

CAP. 14.

Confessionem Auricularem Divini iuris non esse, ex eiusdem per Nectarium abrogatione ostenditur. De cuius abrogatione historia tractatur.

BEllarmini vestigijs, nugas ejus insectando, insistere non libet. Ne lectorem tædio afficerem. Illud, de quo disceptatio habetur, paulò diligentiùs examinare constituì. Calvinus dicit, *Non obscurum esse documentum, confessionem non à Christo, sed ab Episcopis institutam esse, quòd Nectarius, Ecclesiæ Constantinopoli-*

tinopolitana præsul, vir sanctissimus eam abrogavit. Bellarminus non negat, confessionem à Nectario fuisse abrogatam. Qualis autem confessio illa fuit, quæstionis hujus est *διαβολὴ*. Sed vt melius progrediamur. [a] Primò de historicorum fide inter nos constare oportet, quorum auctoritate tota rei basis nititur. Hi verò sunt Socrates, & Sozomenus.

[a] *Nam pontificij quidam historicorum fidem minuere conantur.*

Horum [a] alterum Nicephorus homo hesternus, (cujus historiola mendacijs ita refarcitur, vt vix tot folia, quot fabulæ in eadem numerentur) Novatianum appellat. Et Nectario, qui ritum confitendi primus antiquavit, ejusdem hæreseos infamiam inurit. Baronius etiam homo mendacissimus, & Nicephoro per omnia similis (nisi quòd illum, vt librorum, ita mendaciorum multitudine superet) ijsdem insistens vestigijs, Socratem & Sozomenum, viros pietate & eruditione præstantes, eâdem dedecoris nota proscindere, eorum scripta calumniando pervertere, & Nectarium maledictis acriter insectari non dubitavit. Nicephorus, ad convitium suum confirmandum, duo habet argumenta; Alterum ex epistola Gregorij Nisseni, quam partus esse infœlicis supra [a] ostendimus. Alterum ex ipso Socrate, *Qui sugillat* (inquit ille) *Chrysostomum, quia dixerat, si millies lapsus pœnitentiam egeris, in Ecclesiam ingredere.* At [b] non sugillat, sed ostendit tantùm, *eum ob eandem doctrinam in multorum, qui ei familiares erant, offensionem incurrisse.* Nec aliam habet Baronius rationem, cur Socratem illâ ignominiæ macula notaret, nisi indignum Nicephori testimonium, & locum illum Socratis ab vtroq; malè contortum. Horum convitijs Lyndani (convitiatoris etiam maledici) elogium opponi potest. *Nobilis ille rerum Ecclesiasticarum Scriptor Socrates.* De cujus etiam historia Bellarminus ita scribit. *Non facilè adduci possum, vt credam historiam illam, quæ tum scribebatur, cùm adhuc viverent, qui rei gestæ interfuerunt. Præsertim cùm res, quæ narratur, non in angulo aliquo, sed in urbe celeberrima, consciis populo universo, contigisse dicatur.* Quibus etiam addi posset Tritenhemij de Socrate suffragium. Ad Sozomenum quod attinet; Illius scripta ad Baronij refutationem satis apertè loquuntur. *Pœnitentibus* (inquit) *quamvis frequenter deliquissent, veniam dari Deus iussit.* Quæ verba, viri judicium referentia, illum à Navatianorum

[a] *Ad Epist. Nissen.*
[a] *Cap. 9.*
[b] *Socrat. lib. 6. cap. 19.*
[a] *Lyndan Panopl. lib. 4. cap. 69.*
[a] *Bellar. de Pontif. lib. 3. 14.*
[a] *Ab Triten. lib. de eccl. script.*
[a] *Sozomen. lib. 7. cap. 16.*

hæresi abhorruisse perspicuè ostendunt. Alphonsus denique Salmeron Nectarium jure defendit, *quia & Sexta Synodo vt hæreticorum expugnator, & Ecclesiarum defensor* laudatur. Hic videmus Nectarium, Socratem, Sozomenum justis suffragijs, contra injustas Nicephori & Baronij calumnias, defensos.

Salmer. tom. 11. tract. 20.

Postquam de historicorum fide constat, videamus tandem de quo confessionis genere loquuntur. Baronius & Bellarminus de confessione publica eos locutos esse asserunt. At hæccine est Nectarij culpa, vt Baronius in illum tali libertate verborum incurreret? Illane, nimirum quia confessionem publicam abrogavit? Nonne pudeat Baronium vanitatis suæ? Nam & Leo Papa confessionem publicam *improbabilem, & reprehendendam appellat.* Concilium quoq; Tridentinum *eandem, vt neq; iure divino mandatam, neq; satis consultè aliqua lege humana præceptam,* reprehendit. Si hoc ita esset, quorsum aliquis in Nectarium inveheretur, qui confessionem tantùm improbabilem, nec jure divino mandatam, nec satis consultè humana aliqua lege præceptam, antiquavit? Sed ipsa veritas clamat, & Baronius proculdubio, conscientia delibatus, vidit, non solùm publicam, sed privatam etiam confessionem à Nectario fuisse abrogatam. Idcirco clara veritatis luce compressus nihil sibi potius esse putavit, quàm vt de virorum (sanctitate & eruditione præstantium) fide aliquid derogaret.

Leo. Epist. 78.

Con il. Trid. Sess. 14. cap. 5.

Sed vt historiam ad veritatem revocemus, quæstiunculis quibusdam agendum esse duxi; quibus etiam Socrates & Sozomenus respondebunt.

Quæst. 1ª. Quomodo factum est vt exomologesis, quæ, (secundùm B. Rhenanum, Lyndanum, & verbi etymon) fuit confessio publica, mutaretur? Sozomen. *Odiosum, vt credibile est, sacerdotibus ab initio visum fuit, tanquam in theatro, audiente Ecclesia multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaq; aliquem, vita integritate spectabilem, secretorum tenentem, & sapientem huic officio præfecerunt.* Socrat. *Ab illo tempore, quo Novatiani se ab ecclesia seiunxerant, recusaverantq; cum his, qui tempore persecutionis, regnante Decio concitata, lapsi erant, communicare. Ecclesiarum Episcopi canoni adiunxerunt, vt in singulis Ecclesijs presbyter quidam pœnitentiarius esset. Quò, qui post Baptismum*

Be. Rhenan. in Tertul. de pœnit. Lynden. Panopl. lib 4. cap. 65. ἐξομολογῆσις quasi ἐξωμολογῆσις. 1. seria sateri. Lorin. in Act. 19.

Baptiſmum lapſi eſſent, veram presbytero ad eam rem deſignato, peccata ſua confiterentur. Eccè quomodo confeſſio publica in privatam mutatur. Illa Sozomeni ratio eſt (vt ille loquitur) *credibilis*; ſcilicet ita peccata confiteri eohoſum eſſe; quia (vt author homiliæ, quæ Origeni aſcribitur dicit) *multi audientium vel exprobant, vel invident, vel male loquuntur.* Illa etiam Socratis certiſſima, Nempe Novatianis occaſionem inde oblatam, cum ijs, quorum lapſus in publicam notitiam venerant, non communicandi.

Quæſt. 2. Quomodo ab Epiſcopis proviſum eſt, vt ſcandala illa antevenirent, & peccatores tamen lapſus ſuos confiterentur?

Socrat. & Sozom. *Presbyterum elegerunt, quem ſingulis Eccleſiis huic officio præfecerunt.* Videmus hic, pœnitentiarium iſtum presbyterum, non jure divino conſtitutum, ſed Epiſcoporum auctoritate, & occaſione fortuita huic officio præfectum eſſe.

Quæſt. 3. Quando mutatum eſt hujus presbyteri officium? Socrat. & Sozomen. *Tempore Nectarij Epiſcopi propter huiuſmodi facinus mutabatur. Mulier quædam nobilis ad presbyterum pœnitentiarium accedit, peccata; quæ poſt Baptiſmum commiſerat, confitetur. Presbyter mulieri mandatum dat, vt iejuniis & precibus continuis ſeſe dederet. Quò, vnà cum peccatorum confeſſione, opus dignum pœnitentia oſtenderet. Mulier, longiùs in confitendo progreſſa, alterius culpæ ſe ipſa inſimulat. Docet, diaconum Eccleſiæ cum ipſa dormiviſſe; ob quod facinus, hoc modo patefactum, diaconus ab Eccleſia vectus eſt.* Hic habemus mulierem nulli, niſi presbytero huic pœnitentiario, confitentem, & hac confeſſione culpam patefactam.

Quæſt. 4. Quid ſecutum eſt poſt hoc facinus ita patefactum?

Socrat. & Sozomen. *Vulgus indignabatur, acerbiſq; contumelijs premebantur ſacerdotes. Nectarius itaq; perplexus quodnam remedium huic infortunio adhiberet, ſtupratorem iſtum diaconatu privavit, &, conſulentibus quibuſdam, vnicuiq; liberum permiſit, prout ſibi conſcius eſſet, & conſideret, ad myſteriorum communionem accedere.* Hic habemus confeſſionem omnem

penitus explosam. Et ne putaretur (quod Lyndanus ait) alios fuisse pœnitentiarios, quibus confessio fieret; Socrates & Sozomenus apertissimè docent, non ita esse: sed *liberum cuiq; fuisse, pro sua conscientia, ad mysteriorum communionem accedere.* Hanc historiam eò fusiùs recitavi, vt videat lector verum illud esse, quod Calvinus vnà cum alijs asserit, nempe, confessionem privatam à Nectario abrogatam fuisse.

Bellarminus autem, ingenij sui viribus confisus, hanc sententiam argumentis quibusdam enervare studet. 1°. *Non sustulit Nectarius, nisi appendicem ad veteres Canones. Illa autem appendix ad publicam pœnitentiam pertinebat.* Respondeo; Qui fuere illi Canones, aut ille *Canon* potius (sic enim Socrates loquitur) non planè constat: Dubitandum tamen non est, illum fuisse de confessione publica, de qua apud Irenæum, & Tertullianum legimus. Et quanquam hæc appendix Canoni de confessione publica adjungebatur, Illa tamen pro confessione privata instituta fuit; Ante quam appendicem confessio privata Ecclesiæ Catholicæ incognita fuit. Perspicuum verò est, tum ex Socrate, tum etiam ex Sozomeno, Nectarium confessionem omnigenam sustulisse; quia permisit, vnumquisq; secundùm conscientiam suam, ad mysteriorum communionem accederet.

Bellarminus autem illa verba ita explicat; *Non significat, permissum esse fidelibus, vt sine confessione, & iudicio sacerdotis sacra mensa participes fierent: sed vt non cogerentur adire publicum Ecclesiæ tribunal.* Eccè quàm absurda hæc est verborum Socratis explicatio. Nam secundùm conscientiam, & examen proprium, cuiq; permissum est ad mysteria sacra accedere. Hoc autem quid aliud est, nisi juxta Apostoli præceptum, *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat?* Imò illud ita esse Chrysostomus docet; qui illa verba Apostoli recitans, *probet seipsum homo, &c.* subinsert, *Intus in conscientia, astante nemine, præter eum qui cuncta videt, Deum ..... Iudicium peccatorum statuens, reformia quod deliquisti: atq; sic pura conscientia sacram attinge mensam.* Num * testis magis idoneus esse poterit? Aut poterat quispiam apertiùs Nectarij factum, & Socratis historiam explicare? Nec minùs vana est illa, de tribunali publico, & priuato, distinctio. Nectarius enim vtrumq;

1. Cor. 11. 28

Chrys. de pœnit. hom. 3.

* *Nam Chrysostomus erat Nectarij successor.*

de

de medio sustulit, quando presbyterum illum pœnitentiarium exauctoravit. Quod etiam Michael de Palatio, pontificius non indoctus, fatetur. *Nectarius* (inquit) *statuit, vt deinceps confessio auricularis non esset ex præcepto, sed arbitraria.* Et quòd quilibet propria arbitrio relinqueretur confitendi vel non confitendis sacerdotibus. *Michael de Palat. sent. lib. 4 distin. 17 disput. 3.*

Deinde (inquit Bellarminus) *Non sustulit Nectarius, nisi id quod necessarium erat, ad sedandum populi tumultum, ex occasione detecti illius flagitij excitatum. Ad hoc autem satis superq; erat, de medio tollere confessionem publicam.*

Respondeo: Non satis visum est Nectario, ad sedandum populi tumultum, confessionem publicam de medio tollere: quod si fuisset, quorsum quæso pœnitentiarium illum tolleret? Ille enim privatis tantùm confessionibus præfuit. Quod autem Bellarminus postea infert, Nempe ex confessione *privata nullus tumultus exoriri poterat*, verum est de confessione occultata; de confessione autem patefacta exoriri facilè poterat; imò exortus est. Nam licèt pœnitentiarium illum secretorum tenacem esse oportuerit: in re tamen tam digna, tacere non potuisse, credibile est. Et non tacuisse testatur Canus; vnde scandalum orieba- *M. Canus Relect. par. 5 versa, ad 6 argum.*
tur.

Tertiò (inquit Bellarminus) *post Nectarij tempora, mansit semper in Ecclesia Graca vsus privata confessionis; vt perspicuum est ex Chrysostomo, Nicephoro Carthophylace, Concilio Trullano, aliisq; testimonijs supra citatis.* At hoc falsum esse, ex responsione nostra ad illa testimonia, lector perspicuè videat. Quod & ampliùs ex Chrysostomo, sequente capite videbit.

Quartò (inquit) *Sozomenus affirmat, Deum ipsum præcepisse, vt pœnitentibus venia daretur, & confessionem esse necessariam. Idem autem Sozomenus non reprehendit Nectarium, vt eversorem iuris divini. Nec vllus alius scriptor, in tot annorum centurijs, Nectarium accusavit.* Respondeo; Quàm soluta est hæc argumentatio? Sozomenus non reprehendit Nectarium, vt divini juris eversorem, ergo Nectarius confessionem privatam non abrogavit. Est enim mera principij petitio; Assumens scilicet, confessionem esse iuris divini. *At Sozomenus*, (dicit Bellarminus) *illam esse necessariam affirmat.* Affirmat sanè; sed

tantùm, quatenus eadem esset disciplina vtilis, ad malos hominum mores coercendos. Et notandum est, quòd Sozomenus dicit, *Deum præcepisse, vt venia pœnitentibus daretur*: qui, si Deus confessionem præcepisset, illud quoq; proculdubio dixisset. Ego quidem argumentum huic contrarium, ex præmissis ita contexerem. *Nectarius confessionem priuatam abrogauit*: (nam pœnitentiarium de medio sustulit) *Nectarium autem, nec Sozomenus, nec vllus alius Scriptor, vt diuini iuris eversorem reprehendit*: *ergo* (eorum saltem iudicio) *Confessio priuata non est diuini iuris.*

Quintò (inquit Cardinalis) *ipsi etiam aduersarij non admittunt homines ad Eucharistiam, nisi prius explorates, vt intelligi potest ex Philippo & Calvino. Quis igitur credat, Nectarium tam fuisse imprudentem, vt non videret, quàm malum esset permittere vnicuiq; accessum ad sacra mysteria sine vlla purgatione, & reconciliatione?* Respondeo; Philippus, & Calvinus illam consuetudinem probant; nempe *vt oves se pastori fistant, quoties sacram cœnam participare volunt.* Illud tamen, vt ab Ecclesia susceptum, non à Deo præceptum, exigunt. Nec idcirco Nectarius imprudens habendus est; quia, in tam tumultuoso rerum statu, consuetudinem satis laudabilem conuulsit. Malo enim nodo malus aliquando cuneus adhibendus est. Æger etiam sanandus, licèt (quod olim Alexandro contigit) *Curatio vulneris sit grauior ipso vulnere.* Historia sacra refert rem non omnino dissimilem à pientissimo illo Samuele factam. Cum enim Israelitæ, propter filios Samuelis, munera accipientes, & iudicium pervertentes, commoti essent; regimen ille Aristocraticum, ipsi Deo probatum, licèt ægrè, abolevit. Ita, cùm, propter Diaconi facinus, tumultus inter populum exortus est; Nectarius perplexus, & quasi invitus, ad sedandum populi tumultum, confessionem abrogavit. Nec ob illud culpandus est Samuel, nec ob hoc Nectarius.

1.Sam.cap.8.

[a] *Melch.Can. Relec.de pœniten par.5.*

[b] *Mich. de Palatio in sent lib.4 dist.17.disp.5.*

[c] *Conra. Clingi. Loc.Com. ca.34.*

[d] *Tho.Waldens. Tom.2.cap.141.*

[e] *Pighius Controv.9.*

Vt concludam; Plurimi sunt, & docti pontificij qui confessionem priuatam, à Nectario abrogatam esse, nobiscum sentiunt. Quales sunt [a] Melchior Canus, [b] Michael de Palatio, [c] Conradus Clingius, [d] Thomas Waldensis, & [e] Pighius. Imò quid aliud vult Allanus Cardinalis, cùm dicat, *Chrysostomus multùm labo-*

laboraverit, vt, quod à Nectario prætermissum est reuocaret.

Ruardus deniq; Tapperus, & alij pontificij, rei evidentia convicti, Nectarij personam vt viri *rerum Ecclesiasticarum ignari, & ad Ecclesiæ regimen inepti*, obtrectare student. Et hæc de Socratis & Sozomeni historijs, & Nectarij facto. *Ruard. Tapp. Artic. 5.*

CAP. 15.

Ex Chrysostomo constat, eandem à Nectario abrogatam esse. 3. Calvini argumentum.

CAlvinus dicit, *Chrysostomum ecclesiæ Constantinopolitanæ præsulem, privatæ confessionis abrogationem multis locis ostendere. Sed quemadmodum* (inquit Bellarminus) *Nectarius non confessionem privatam, sed publicam abrogavit: sic etiam Chrysostomus passim confessionem publicam carpit; privatam autem nusquam reprehendit. Id perspicuum est* (inquit) *ex omnibus locis, quæ ab adversarijs obiecta sunt, vel obijci potuissent.* Respondeo: Chrysostomus confessionem publicam omnino non carpit, sed tantùm non necessariam esse ostendit. Vanè igitur, & vafrè locus ille Chrysostomi à Bellarmino citatur. *Non revelet vlcus, non delictorum testes statuas.* Chrysostomus enim ea verba, non imperativè, sed indicatiuè profert, *Non revelavit vlcus, non in commune theatrum accusationem produxit, &c.* Et licèt, juxta translationem, habeamus apud Chrysostomum. Conc. 4. de Lazaro, *Cave homini dixeris, ne tibi exprobret*: Aliter tamen Græcè habetur; μὴ τῷ ἀνθρώπῳ λέγῃς, ἵνα μοι ὀνείδιση. μὴ τῷ συνδούλῳ ὁμολογήσῃς, &c. id est, *Non homini dicis, vt exprobret; non conserno confiteris, &c.* Deinde si quædam forsitan huiusmodi apud Chrysostomum inveniantur, ea tantùm per concessionem dicta intelligenda sunt. Quasi diceret, non cauendum esse nego, ne homini dixeris. Hocq; verba illius, tum in illo loco, tum etiam in alijs, planè ostendunt. *Non cogo te in medium proferre. Non dico, vt conserno exponas. Non tibi dico, ostenta teipsum.* Nam si Chrysostomus confessionem publicam damnasset, ad hunc potius modum locutus esset. *Cogo te vt in medium proferas. Dico, vt ea conserno non exponas. Dico tibi, non ostenta teipsum.* Deinde, sicut Chrysostomus confessionem publicam non damnat; Ita etiam nec priuatam. *Chrysost. de poenit. hom. 8. Edit. Pariſ. prope finem. De Lazar. Con. 4 in pſal. 50. Hom. 2. Ad popul. Antio. hom. 41.*

Sed

Sed & hanc, & illam minimè necessariam esse, docet. Quod cuivis, nisi cæcutienti, perspicuum erit. Chrysostomus in Psal. 50. hom. 2. ait. *Non dico confitearis conserno tuo, qui exprobret. Hic apertè de confessione publica loquitur* (inquit Bellarminus) *Nam ex confessione privata nulla potest sequi exprobratio. Tum quòd sine testibus ea confessio fiat, tum quòd arctissimo vinculo teneantur sacerdotes; altissimo silentio tegere, quæ in privata confessione audiverunt.* Respondeo; Imò de confessione privata apertè loquitur. Si enim de publica locutus esset, non dixisset, conseruo tuo, sed conservis tuis. Nam confessio publica, non vni tantùm Sacerdoti, sed toti Clero, quasi in theatro, facta est. Hoc etiam, ex loco non dissimili, apparet. *Non homini dicis ne tibi exprobret. Neq; enim conseruo confiteris, vt in publicum proferat.* Quorsum enim in publicum proferri timeret quispiam, quod anteà publicum erat? Ad rationes Bellarmini quod attinet. Primò, errat ille dicendo, quòd *exprobatio ex confessione privata sequi non possit.* Nam filius, apud Comicum poetam, privato coloquio patri dixit: *Hæc commemoratio est quasi exprobatio.* Nonne Nathan Davidi Domini beneficentiam, & ejus ingratitudinem privatim exprobravit? Deinde de alto illo in confessione silentio Bellarminus ineptè loquitur, quasi idem Chrysostomo cognitum esset; qui non tutum esse judicat conservo confiteri, ne in publicum proferat. Sed de sigillo confessionis plura postea dicturi sumus.

De Læs. con. 4

Teren. in Andr.

2. Sam. 12.

Multa alia sunt Loca apud Chrysostomum, quæ Bellarminus adduxit. Quibus confessio Deo facta, in anima, siue intra confitentis conscientiam, cogitatione tantùm, non lingua, confessioni, quæ fit hominibus opponitur. *Si confunderis alicui dicere, quia peccasti; dicito ea quotidie in anima tua. Cogitatione fiat delictorum exquisitio. Absq; teste sit hoc tudicium. Astante nemine, solus te Deus confitentem videat.* Ad hæc Bellarminus respondet; *Chrysostomum in his locis opponere confessioni publicæ, confessionem quæ fit soli Deo, Quia non loquitur de confessione, vt ordinatur ad absolutionem sacerdotalem, quæ propriè pars est sacramenti pœnitentiæ essentialis, sed de confessione, vt ordinatur ad confessionem, & erubescentiam, quæ pars dici potest satisfactionis.* Respondeo; Chrysostomus confessionem quæ fit soli Deo, non con-

Chrys. in Psal. 50 hom. 2.

Homil. de panit. & confes.

In epist. ad Hebr. hom. 31. de Pœnitent. hom. 8.

confessioni tantùm publicæ, sed privatæ etiam opponit. Illam enim confessioni opponit, quæ fit alicui, *absq; teste, astante nemine, & cùm Deus solus confitentem videat.* Idcirco, sicut confessionem publicam, ita & privatam, vt minime necessariam, excludit. Nec illud sine ratione. Scilicet quia confessio Deo soli facta ad remissionem peccatorum per se satis est. *Mihi soli* (dicit Deus) *dic peccata tua privatim, vt sanem vlcus, teq; dolore liberabo. Si peccatorum sis memor, & ea Deo proferas, & pro ipsis deprecaris, ea citò delebis.* Chrysost. de Lazaro Con. 4. Ad Pop. Antio. hom. 41.

Deinde, Chrysostomum non loqui de confessione, *vt ordinatur ad absolutionem, quæ pœnitentia sacramenti est pars essentialis*, cui mirum esse potest? Nam Chrysostomus nullam hujusmodi absolutionem, nullum sacramentum vsquam agnovit, vidit. Qui si vidisset, quantis illam encomijs extulisset, decorasset, qui dignitatem sacerdotalem decantando etiam ad hyperbolas profusus fuit?

Porrò (inquit Bellarminus) *Chrysostomus rectè monet, non esse necessarium, ad eiusmodi finem obtinendum, publicè vel etiam privatim confiteri: Sed satis esse cum dolore & lachrymis confiteri Deo.* Ad quem quæso finem? *Ad confusionem* (ait ille) *& erubescentiam confitentis.* Sed si rectè monet Chrysostomus, non rectè meminit Bellarminus. Ille enim suprà dixit, *confusionem & erubescentiam apud homines locum habere, non apud Deum.* Cap. 11. Hic autem positionis suæ oblitus, confessionem Deo factam, ad confusionem peccatoris, necessariam esse dicit. Pergit Bellarminus. *Quòd autem ad alium finem, nimirum vt sacerdos noverit morbos pœnitentis, quibus medicinam pœnitentiæ applicare debet, necessaria sit confessio, suprà ostendimus.* Respondeo; Quid suprà ostendit, & quid nos respondimus, videat lector & judicet. Hic autem Bellarminum rogo, vt exponat planiùs, quis ille finis est, & quæ medicinæ applicatio, de qua loquitur? Nam si sit absolutio sacerdotalis, Chrysostomus neq; confessionem illam sacramentalem, neq; absolutionem sacerdotalem necessariam esse judicavit, qui toties confessionem apud Deum, verum judicem, ad pœnitentis absolutionem satis esse prædicat. Et quis finem alium quærat, aut meliorem exoptet, quàm vt vlcera sanentur, peccata condonentur? Si quis morbo liberatus,

Tolle morbos, & nulla est causa medicinæ. Aug. de verb. Apost. ser. 9. Rom. 8. 33.

tus sit, quorsum medicinæ applicationem quæreret? Et si quis à Deo solutus & sanatus sit, quorsum sacerdotis absolutionem desideraret? *(Quando Deus justificat, quis adversus Dei electos accusabit?)* Quid enim illud esset, nisi actum agere? Addit vltimùm Bellarminus, *Si Chrysostomus de confessione, respectu cuiuscunq; finis loqueretur; Illum, non solùm nobiscum, sed cum adversarijs* (nobis nimirum) *pugnare; qui confessionem, saltem aliquorum grauium criminum vtilissimam vel etiam necessariam esse censent.* Respondeo; Chrysostomum cum pontificijs pugnare, qui cum veritate pugnent, facilè concedimus, & apertè, vt opinor, demonstrauimus.

M. Canus. Relec. pars 5. ad 6. argu.

Ad nos autem quod attinet; distingue tempora, & facilis erit reconciliatio. Exorta tempestate, nauta sua vela trahit, tranquillo autem tollit. Num ille igitur secum pugnat? Tumultuosis illis temporibus, confessionem non esse necessariam, Chrysostomus judicavit. Nos sedatis necessariam esse censemus; quomodo hac in re Chrysostomus nobiscum pugnat? Veram, & ingenuã Melchioris Cani, Canarienſis Episcopi, sententiam, contra Cardinalem Bellarminum attexam. *Ad sextum argumentum respondetur.*

1. *Nectarius secretam confessionem de medio sustulit.*

Quòd Nectarius, antecessor Divi Chrysostomi, confessionem secretam de medio sustulerit, vt illo capite Sozomenus tradit.

2. *Chrysostomus de confessione auriculari verba non fecit.*

Quam ob rem Chrysostomus, Nectario succedens, de confessione hac auriculari, populo verba facere noluit.

3. *Scandalum per occasionem secretæ confessionis.*

Quia enim nondum scandalum sedatum erat, quod in Ecclesia Constantinopolitana, per occasionem secretæ confessionis, fuerat exortum; non est ausus eam restituere, quam videlicet vir probata fidei apud Constantinopolitanos abiecerat.

4. *Nectarius vir probata fidei.*

Deniq; videtur mihi Bellarminus, apertissimo Chrysostomi judicio, ita conturbatus & attonitus; vt ipse, quid dicit, non intelligat. Nec lector, quid huic in animo fuit facilè auguretur.

CAP. 16.

Confessio auricularis est impossibilis; ergò nec a Deo instituta fuit, nec ab Ecclesia institui potest. 4. Calvini argumentum.

CONfessio, qua requirit enumerationem peccatorum, est impossibilis: ergo nec à Deo imperata, nec ab Ecclesia imperari potest.

teſt. Hac obiectio (inquit Bellarminus) non modo per ſe leuis eſt, ſed etiam ex verbis eiuſdem Calvini apertiſſimè ſolvitur. Decet enim Calvinus ſect. 2. in confeſſione, qua Deo fit, non ſatis eſſe generatim, ſed oportere, quantum in nobis eſt ſingula peccata accuratè confiteri. Catholici etiam omnes docent, non omnia omnino peccata enumeranda: ſed ea, qua poſt diligentem excuſſionem, memoria occurrunt. Calvin Inſtit. lib. 3. cap. 4. §. 18.

Reſpondeo; Primò non eſt cauſa eadem peccata hominibus recenſendi, atq; Deo. Ad Deum enim, quem offendimus, confugere æquum eſt. Non (vt ait Auguſtinus) vt confeſſio noſtra illum doceat, ſed vt nos mundet. Idcirco valde convenit, vt miſeriam noſtram illi pandamus, quò illius miſericordiâ conſequi, & magnificare poſſimus. Non eadem eſt ratio ad homines accedendi. Deinde nec Calvinus, nec vllus aliquis noſtrûm aſſerit, peccata omnia & ſingula tam neceſſario Deo eſſe confitenda, vt ſine hac confeſſione remiſſionem non conſequamur. Pontificij autem confeſſionem ſuam particularem tam neceſſariam eſſe docent. Mortalia omnia ſicut neceſſario confitenda, inquit Zuares. Sacerdos debet omnia remittere, & quia non poteſt remittere, niſi qua audit, omnia debet audire, ait Maldonatus. Cajetanus etiam ſcribit, Confeſſio non integra non eſt confeſſio, qua eſt materia ſacramenti, quia ex propria ratione repugnat ſacramenti formæ, hoc eſt abſolutioni. Cujus ratio levis non eſt. Nam materia formæ reſpondere debet. Vt abſolutio igitur ſit abſoluta, & integra, confeſſionem abſolutam, & integram requirit. Si ſit autem generalis, confeſſio etiam generalis illi benè convenit. Nec eſt huic diſſimile quod alibi ſcripſit Cardinalis. Alij ſunt, qui generatim & confuſo modo confitentur, quibus non alia quàm generalis & confuſa abſolutio conveniret. Acumen Ieſuiticum hìc maximè requiritur, ad ſententiam ſuam & ſuorum concilandam. Bellarminus enim hoc in loco fatetur; Non poſſe aliquem, nec iuberi, ſingula peccata in confeſſione enumerare. Alio tamen idem ait. Chriſtus ita conſtituit ſacerdotes iudices, vt ſine ipſorum ſententia, nemo lapſus reconciliari poſſit: ſed nequeunt ſacerdotes rectè iudicare, niſi peccata cognoſcunt. Et cap. 21. Scire non poſſunt ſacerdotes, qua peccata remittere, & qua retinere eos oporteat, niſi peccata ipſa plenè atq; integrè noverint. Et cap 9. Auguſt. in pſal. 74. Zuar. Tom. 4. diſp. 22. §. 6. Maldo. ſum. q. 18. a. 3. &c. Caietan Sum. De confeſſ. verb. Integra. Beller. de art. bene moriendi lib. 1. cap 13. Cap. 2. huius libr.

Niſi peccata omnia accuratè cognoſcerent. Impoſſibile autem eſt, vt ſacerdos ſingula confitentis peccata plenè, atq; integrè cognoſcat; Cùm nonnulla etiam confitentem latere neceſſe ſit. De illis igitur non poteſt judicare ſacerdos; & ex conſequenti veniam & reconciliationem concedere non poteſt. Nodum iſtum ſolvendo Ruardus Tapperus deſudavit; qui tamen ſibi ſatisfacere non videtur. Quærit enim quomodo oblita peccata remittuntur; Cui etiam quæſtioni reſponem triplicem adhibet. *Vel* (inquit) *ipſa remittuntur tanquam peccata oblita; vel per conſequentiam ſolùm, eò quod peccatum confeſſum ſine oblitis non remittitur. Vel immediatè, ſicut ea, quæ ſumus confeſſi.* At hæ rationes à ratione prorſus abhorrent.

Nam ſi dicat peccata oblita remittuntur tanquã oblita: Nonne & ipſe ſimiliter dicam, non confeſſa remittuntur tanquam non confeſſa? Quod ſi ita ſit, quid opus erit confeſſione? Deinde nec per conſequentiam illud fieri poteſt. Nam ſi remiſſio ex confeſſione pendeat, vt docent pontificij, ea, quæ confeſſa non ſunt, non remittuntur; & per conſequentiam oblita, quia non ſunt confeſſa; imò nec quæ confeſſa ſunt, propter oblita. Deniq; quomodo poſſunt oblita immediatè remitti, cùm ſecundùm Romanenſes confeſſio ad remiſſionem neceſſariò requiritur? *Expliceat, ſi poteſt, ſe Cotta ex hac voragine.*

CAP 17.

Eadem nunc eſt ratio peccata remittendi, quæ olim fuit, hoc eſt ſine confeſſione auriculari. 5. Calvini argumentum.

NON alia (inquit Calvinus) *eſt peccatorum remiſſio, quàm ſemper fuit: At qui olim remiſſionem obtinuerunt, non leguntur in aurem cuiuſdam ſacrificuli confeſſi. Deinde verbum Dei appertum eſt; quotieſcunq; peccator ingemuerit, omnium eius iniquitatum non recordabor, &c. Si hoc argumentum aliquid concluderet* (inquit Bellarminus) *Non ſolùm confeſſio, ſed etiam Baptiſmus in diſcrimen adduceretur, qui olim in eccleſia non extitit.* Reſpondeo; Hæc Cardinalis reſponſio ſatis eſt captioſa. Calvinus enim non loquitur de omnibus modis & medijs remiſſionis; ſed de eo tantùm medio, quod ad pœnitentiam & confeſſionem pertinet,

Ezech. 18.

tinet, vt verba eius perſpicuè oſtendunt. Cujus etiam argumentatio (niſi verba illius contrà, ac dicta ſunt, accipiantur) eſt huiuſmodi; Illa pœnitentia & confeſſio, nunc ad remiſſionem ſatis ſunt, quæ olim ſatis fuere: At pœnitentia, & confeſſio Deo facta non ſacrificulo, ad remiſſionem olim ſatis fuere; ergo & nunc ſatis ſunt. Aſſumptionem ſi negaret Bellarminus, vnicus ille locus Pſal. 32. illum redargueret. *Dixi confitebor adverſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Pſal. 32. 5. Nec propoſitionem vlla ratione ſana negare poteſt. Nam ſi confeſſio Deo facta ſub lege ſatis fuerit, quid ni etiam ſit ſub evangelio? Quorſum quæſo eorum pœnitentia, qui tunc temporis vixerunt nobis in diuinis literis proponitur? Nonne ad hunc finem; *Vt nos per patientiam, & conſolationem ſcripturarum, ſpem habeamus?* Rom. 15. 4. Vtq; veniam illis conceſſam ante oculos ponentes, ad miſericordiam eodem modo conſequendam erigamur? Imo patres hoc abundè teſtantur. *Dauid ſequendum nobis propoſuit magiſterium, qui mihi vitæ guſtaſſe peccatum, vt doceret quemadmodum peccatum poſſit aboleri*, ait S. Ambroſius. S. Hyeronymus etiam, Davidis confeſſionem recitans, dicit; *Qui me prius docuerat virtutibus ſuis quemodo ſtans non caderem, docuit per pœnitentiam quemodo cadens reſurgerem. Non horruiſti* (inquit Bernardus) *confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, &c. Idcirco inſirt. 22. odore vnguentorum curritur.* Sexcenta etiam loca apud antiquos inveniuntur, quibus illi pœnitentiam confeſſionem, & confeſſionis fructum ſaluberrimum omnibus proponunt. vt eodem modo reſipiſcentes, & confitentes, in ſpem veniæ inducantur. *Ambr. in pſal. 37.* *Hieron. epiſt. ad Oceanum.* *Bern. in Cant.*

Ad locum Ezechielis reſpondet Bellarminus; *Si ſimpliciter gemitus quicunq; ſufficeret ad ſalutem, excluderentur Fides, Spes, Charitas, & emendatio vitæ.* Reſpondeo; Nec ſcriptura, nec Calvinus de qualicunq; gemitu loquuntur; ſed de eo tantùm, qui triſtitiam habet *ſecundum Deum.* Hunc nos, Scripturis ſacris edocti, & ſanctorum patrum teſtimonijs confirmati, ad remiſſionem peccatorum ſufficere non dubitamus. *Nam Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet.* 2 Cor. 7. 9. Pſal. 51. 17.

Sola eſt (inquit Chryſoſtomus) *cordis compunctio, qua, ſicut ignis, omne animæ vitium perurit, & adimit. Et quantacunq; in ea* Chryſ. de Compunct. lib. 1.

Peccati quippe vel sola confessio hominibus saepe salutis fuit aeternissimis, Lacrymis graves noxias abluit Hac Nazianz. ad vital. de Confessione ad Deum.

reperit mala, abstergit universa, & poenitus delet, Hunc gemitum, hanc compunctionem à fide, spe, & charitate seiungi impossibile est. Hæc vt sequatur vitæ emendatio necesse est. Sed vt in præsenti votum esset confessionis, vel vt eadem in actu postea necessariò sequeretur, nullus scripturæ sacræ locus, nullum antiquorum testimonium reperiri potest.

CAP. 18.

Ministri Christi eodem modo peccata remittunt, quo & ipse Christus, quoad munus suum pastorale.

1. Chemnitij obiectio.

NON aliter (inquit Chemnitius) *Christus Apostolos misit, quàm ipse missus fuerat, Ioh. 20. sicut misit me pater, & ego mitto vos. At ipse singulorum peccatorum confessionem, & enumerationem non exigebat, nec igitur debent ministri exigere.* Bellarminus ad maiorem propositionem respondet. *Primò, Illa verba, Sicut misit me pater, & ego mitto vos, non ita accipienda esse, quasi eodem modo debuerint Apostoli omnia facere, quo ab ipso Christo fiebant.* Sed qualis tandem est hæc responsio? Quis enim dixit vnquam, omnia ab Apostolis ita esse facienda, eodemq; modo, quo Christus fecit? Cùm neminem possit fugere, ea, quæ naturæ diuinæ propria sunt, Apostolis, aut ministris Christi nullo modo conuenire. In hoc autem turpiter lapsus est Bellarminus, qui sententia Chrysostomi hyperbolica abusus, *Omnifariam Christi potestatem* Sacerdotibus tribuit. Quæstio autem est, an, quoad munus pastorale, aliam Apostoli rationem habuerint homines Deo reconciliandi, quàm habuit Christus? Quod non habuisse patres testantur. Imo ipse Bellarminus illa verba Iohannis ita explicat. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Voluit* (inquit) *vt eadem ratione Apostoli gubernarent Ecclesiam, qua ipse eam gubernaverat.* Deinde tres patrum expositiones Bellarminus attulit, quæ nullo modo suæ favent opinioni. *Misit Christus Apostolos suos, sicut ipse missus est à patre, scilicet ad ligandum & soluendum, quæ est expositio Chrysostomi. Misit ad homines reconciliandos, & evangelium prædicandum, quæ est interpretatio Cyrilli. Misit ad crucem, non ad delicias, quæ est explicatio Gregorij.* Respondeo;

Cap. 3.

Bellar. de cleric. lib. 1 cap. 7.

In hom. 86

In eund. loc.

deo; Benè habet Bellarmine, nullum horum dixisse, misit eos ad confessiones clancularias audiendas. Quod tamen, tua opinione, tam certum atq; necessarium, in loco tam opportuno, eos omnes neglexisse, mirum est. Præcipue cùm Cyrillus missionis Christi causas enumerando tam multùs sit Præterea, si bona sit Gregorij explicatio, *Mitto vos ad crucem non ad delicias*; Quis tandem Iulium tertium Romanum pontificem misit? *Qui* (vt refert Onuphrius) *per totum pontificatum, intempestivè comessando, lasciviendoq; genio iucundè suauiterq; indulgebat.* Quis (vt Platina verbis vtar) *Portenta & monstra illa misit, à quibus Petri sedes occupata, potiùs quàm possessa est?* Num Christus? Num vt Christus à patre? Quis ita sine mente vivit, vt illa cogitare possit? Pœniteat ergo Bellarminum pontificiæ expositionis, aut pudeat illum pōtificum sceleratissimorum impietatis. Appositè Chrysostomus, optime Cyrillus hunc locum exposuerunt. *Missi sunt ad soluendum & ligandum.* Illud verò fit per absolutionem, & excommunicationem, vt fatetur ipse Bellarminus. Qui nec inficias ire potest, Sacerdotes, in excommunicandis peccatoribus, auctoritatem suam sine confessione exercere posse. *Missi sunt ad reconciliandos homines.* Et quomodo reconciliantur Cyrillus eò loci ostendit. Nempe Evangelium prædicando. Quod etiam docet Apostolus epistola 2. ad Corinth. cap. 5. *Posuit in nobis ministerium reconciliationis.* Hanc genuinam esse huius loci expositionem vidit Iansenius, & agnouit. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Nimirum* (inquit) *vt vestra prædicatione, & vita, gloriam nominis mei, & patris, & hominum salutem promoueatis.* Vidit Dionysius Carthusianus; *misit me pater ad prædicandum, & ita mitto vos.* Vidit & Hugo Cardinalis, qui eisdem verbis locum explicat, & per Apostoli verba ad Romanos cap. 10. planiorem reddit. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur.* Quæ patrum & pontificiorum expositiones cum alijs scripturæ sacræ locis optimè consentiunt. Hoc munus deniq; evangelij prædicandi, sancti Iesu Christi præcones magna cum industria, & fructu præstiterunt. Nam diversas orbis regiones peragrantes Evangelium mirum in modū, propagarunt. Vt scriptura sacra refert, quæ de confessionibus clancularijs nullam mentionem facit.

Onuphrius in supplemento Platinæ in vita Iuly tertij.

In vita Benedicti 4.

Bellar. de Rom. Pontif. lib. 1. cap. 12.

Iansen. Concor. cap. 147.

D. Carthus. in Ioh. 20.

Vt Luc. 4. 18. Mat. 28. 18. Mar. 16. 15.

Hæc etiam loca Rupertus ad D. Ioannis locum illustrandum protulit.

CAP.

CAP. 19.

Confessio publica Decij tempore partim abrogata, & in privatam mutata fuit. 2. Chemnitij Obiectio.

HIc colligit Bellarminus Chemnitium asserere, *Confessionẽ publicam tempore Decij abrogatã, ac in privatam mutatã; Et Nectarij tempore privatam abrogatam fuisse. Et hac ex imperitia coagmentata esse dicit. Nam (inquit ille) Sozomenus scribit, visum esse Episcopis, qui ab initio fuerunt, vt peccata tanquam in Theatro pandrentur. Proinde tantùm abest, vt tempore Decij fuerit abrogata confessio publica, vt potius tunc primùm ab Episcopis fuerit imperata.* Respondeo; Primò Bellarminus dum alterum imperitiæ arguit, suam vel imperitiam, vel impudentiam prodit. Chemnitius enim non dicit, confessionem publicam, imperante Decio, omnino abrogatam fuisse, sed ex parte tantum. Deinde ipse Socrates ostendit planè, confessionem illam publicam tempore Decij partim fuisse abrogatam, cum ad scandala vitandum pœnitentiarius ille eligeretur. Cujus officium hoc fuisse videtur, vt curaret ea solùm in publicum prodire, quæ tutò, & sine scandalo panderentur. Ne Novatiani, criminum publicatione offensi, *se ab Ecclesia seiungerent.*

Præterea confessionem publicam tempore Decij fuisse primò imperatam, nemo prudens diceret, qui Tertullianum, Irenæum Cyprianum, Decio longè antiquiores legerit. Illi enim de confessione publica in Ecclesia frequentata non rarò loquuntur. Et hoc est quod (secundum Cassiodorum) Sozomenus dicit. Nempe *Episcopos, qui ab initio fuerunt, peccata quasi in Theatro pandi voluisse.*

CAP. 20.

Chemnitij argumenta ex Cassiano & Origene; Brentij ex Augustino & Ambrosio defenduntur.

CHemnitius contra pontificios adducit Cassianum, & Origenem. Cassianus sic loquitur; *Quòd si, verecundia retrahente, revelare eorum hominibus erubescis, illi quem latere non possunt*

possunt, confiteri iugi supplicatione non desines. Qui & absq; vllius verecundiæ publicatione, curare, & sine improperio peccata condonare consuevit. Ad hęc Bellarminus. *Non potest esse dubium, quin Cassianus doctorem suum Chrysostomum secutus sit.* Respondeo; Verum illud est. Sed Chrysostomus, vt ante ostendimus, confessionem hominibus factam ad remissionem peccatorum non esse necessariam docet: ergo sine dubio & Cassianus. Deinde Bellarminus addit, *Cassianus confessionem publicam notat, quæ coram multis fieri solet; Nam dicit hominibus.* Respondeo; Idcirco, secundum hanc rationem, quando [a] Chrysostomus de confessione homini facta & conservo loquitur, de confessione privata intelligendus est. Quod tamen Bellarminus negat. Deinde aliquis hominibus confiteri dicatur, qui tunc alteri confitetur. Deniq; certissimum est Cassianum de confessione Deo facta locutum esse, *qui curare, & peccata donare consuevit.*

[a] *Chrysost. hom. 2 in psal. 50. Non dico confitearis conserno. Et hom. 4. de Lazaro. Non homini dicis &c.*

Hoc benè vidit Bellarminus; Et idcirco aliud subterfugium excogitavit. *Illud* (inquit) *commodè accipi potest de confessione quæ Deo fit per sacerdotem. Nam circumstantia illa, absq; verecundiæ publicatione, & improperio satis apertè indicant confessionem illam notari, ex qua publicatio & improperium sequebantur. Quæ duo longè absunt à confessione secreta, quæ fit vni soli.* Respondeo; Illa Cassiani sententię explicatio est commentum ineptum. Verè dixit Orator, *Consuetudinis magna vis est.* Hæc enim mentis aciem ita adversario perstrinxit, vt quicquid dicitur, suæ opinioni favere existimet. Vnde confessionem Deo factam, de confessione quæ Deo fit per sacerdotem intelligendam putat. Sed si tales explicationes probarentur nihil tam clarum & sincerum, quod in sensum omnino contrarium non pertraheretur. Ratio etiam Cardinalis inanis est. Nimirum, *illa verba, de confessione quæ Deo fit per sacerdotem, commodè accipiantur, quia verecundiæ publicatio & improperium ab illa confessione longè absunt.* Multò enim commodiùs de confessione quæ fit Deo soli, intelligantur, à qua hæc duo absunt vel longissimè: Cùm confessionem, quæ Deo fit per sacerdotem, facilè sequantur.

Secundo loco adducitur Origenes, qui homil. 2. in Levit. varios modos enumerat, quibus peccata purgantur, ex quo se-

quitur, quòd, licèt confeſſio ſacerdoti facta ſit vtilis, non tamen neceſſaria eſt. Ad hæc reſpondet Bellarminus; *Modi illi quos eo loco ponit Origenes, non ſunt omnes, & ſinguli per ſe ſufficientes, ad peccati remiſſionem, licèt ſuo modo iuvent.* Reſpondeo; Quid habet hæc reſponſio Bellarmini, præter illud, quod poſuit Chemnitius? Quod autem addit Bellarminus; *Quemadmodum non baptizatis illa non ſufficiunt ſine Baptiſmo, in re vel in voto: Ita etiam baptizatis illa non ſufficiunt, ſine confeſſione, vel in re, vel in voto*; errore duplici non vacat. Primò enim Baptiſmum ad ſalutem ſimpliciter neceſſarium faciens, infantulis non baptizatis ſalutis beneficium ſine ratione denegat. Deinde, quid iniquius quàm vt Cardinalis Helenam ſuam cum Lucretia, confeſſionem cum Baptiſmo comparet? Chriſtus enim Baptiſmum in remiſſionem peccatorum inſtituit, Non autem confeſſionem auricularem.

Auguſt. confeſſ. lib. 10. cap. 3.

Huc referri poſſunt (inquit Bellarminus) *duo alia teſtimonia patrum à Brentio citata. Primum eſt Auguſtini; Quid mihi eſt cum hominibus, vt audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos? &c. Sed hoc nihil eſt (inquit) niſi ſimplicibus imponere. Auguſtinus enim non loquitur de confeſſione ſacramentali; ſed de confeſſione peccatorum præteritorum, ac per Baptiſmum demiſſorum.* Reſpondeo; Verum eſt, Auguſtinum de confeſſione ſacramentali non locutum eſſe. quid hoc enim eſſet, quàm de non ente loqui; cùm nulla ſit hujuſmodi confeſſio? Deinde dum Bellarminus alteri crimen ſimplicibus imponendi obijcit, ille in idipſum incurrit. Nam hæc diſtinctio de confeſſione ſacramentali, & peccatorum ante Baptiſmum commiſſorum, eſt vaniſsima, nec vllum in ſcripturis ſacris fundamentum habet. Deniq; Auguſtinus non ea ſolùm fatetur, quæ ab illo ante Baptiſmum ſuum commiſſa ſunt: ſed etiam quæ poſt baptiſmum. Imò ea confitetur quæ egerat poſt quam dignitatem Epiſcopalem adeptus eſſet, vt librum decimum legenti perſpicuum erit. Nam de infirmitatibus ſuis, eo libro loquitur, quibus laboravit, quando illum librum ſcripſit, quod ſub tempore Epiſcopatus ſui fuiſſe libri retractationum teſtantur.

Libros confeſſionum ſcripſit Epiſcopus vide Retract. lib. 2. cap 1. & 6.

Ambr. lib. 10. in Luc. cap. 96.

Alterum teſtimonium eſt Ambroſij. *Petrus doluit & flevit,*

Non

Non invenio quid dixerit, invenio quòd flevit. Lachrymas eius lego, ſatisfactionẽ non lego.— Lavent Lacryma delictum quod voce pudor eſt confiteri. Ad hęc Bellarm. reſpondet, *Primùm eo tempore nondum inſtitutam fuiſſe confeſſionem ſacramentalem: Ac per hoc nihil eſſe mirum, ſi Petri confeſsio non legatur.* Et veriſsimè dicit Bellarminꝰ confeſsionẽ ſacramentalem nondum inſtitutã fuiſſe, nec minus verè dicere potuiſſet, eam, non ſolùm nondum, ſed nunquam, ante Concilium Lateranenſe inſtitutam fuiſſe. Quod ex ipſis pontificiorum diſputationibus facilè colligitur.

Deinde (inquit Bellarminus) *S. Ambroſius loquitur de Lachrymis, quæ confeſsionem quandam continent.* Reſpondeo; Verum illud eſt. Nam apud Deum, qui *vocem fletus ſuorum exaudit, Hæ Lachryma vocis pondus, & inſtar habent.* Sed quid hoc ad Brentij Argumentum? *Petrus Lachrymis delictum ſuum lavabat, ſine confeſsione auriculari; ergo confeſsio auricularis non eſt neceſsaria.* Ad hoc argumentum Bellarminus nihil reſpondet, ſed ad παρεργα ſe prorſus convertit. Pſal. 6. 8.

CAP. 21.

Cauſæ quas Chemnitius attulit confeſsionem abrogandi ſatis inſtæ ſunt.

CHemnitius varias cauſas enumerat, ob quas confeſsionem pontificiam exterminandam dicit. Prima eſt; *Non habet Chriſti aut Apoſtolorum vel præceptum, vel exemplum.* At habere Bellarminꝰ aſſerit. Habeat autem necne, adhuc ſub judice lis eſt. *Vide Caput 2. & 4.*

Secunda. *Nullam habet in verbo Dei promiſsionem.* Contra hanc rationem Cardinalis duo teſtimonia profert. Primum illud Ioannis: *Si confiteamur peccata noſtra &c.* Illud autem de confeſsione Deo facta accipiendum eſt, vt ſupra oſtendimus. Alterum eſt Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata remiſſa ſunt &c.* At hiſce verbis nullum verbum de confeſsione habemus, nedum promiſsionem vllam confeſsioni additam. Eadem etiam ad verbi prædicationem, non ad confeſsionem, pertinere monſtravimus. 1. Ioh 1. *Cap 4.* *Cap. 2. & 18.*

Tertia. *Evangelium transfert in legem. Statuit enim remiſsionem ex enumeratione pendere.* At non pendet; inquit Bellarminus

minus. Respondeo. Quorsum igitur enumeratio à pontificijs tam accurata requiritur? Nam asserunt, confessionem *non integram, non esse confessionem*; Nec scire posse sacerdotes peccata remittere, nisi ea plenè & integrè cognoverint.

Caietan. sum. trac. de Confess. ver. integra.

Quarta; *Scholastici, & alij pontificij plus tribuunt confessioni, quàm par est. Nam Meritoriam esse affirmant ad culpæ remissionem, pœnæ diminutionem, Paradisi apertionem, &c.* Negat autem Bellarminus, scholasticos dicere, homines per confessionem mereri peccatorum remissionem, *nisi fortè ex congruo. Porro* (inquit) *encomia confessionis longè maiora extant apud patres, quàm apud vllos scholasticos.*

Respondeo; Primò, Si aliquod opus sit, quod ex condigno mereatur, tum illud confessionis vel maximè, si Bonaventuræ credimus. Ille enim ait; *Confiteri peccata occulta est actio maximæ perfectionis.* Si sit autem actio maximæ perfectionis; Quis omnino dubitet eandem, secundùm pontificiorum doctrinam esse meritoriam? Illi enim docent, quòd opera inferioris conditionis, in statu gratiæ facta, ex condigno mereantur. Quid quod Ioannes de Combis ait, *Confessio facta per nuncium, vel per Epistolam, opus bonum esse, & meritorium; licèt eadem non sit pars sacramenti pœnitentiæ.* Thomas etiam dicit. *Confessio est meritoria, quia cœlum aperit.* Idem etiam aliorum scholasticorum testimonia adducit. Quibus & illud Abulensis addi potest. *Qui confitetur, tripliciter habet remissionem pœnæ; 1. satisfactoriè, 2. meritoriè, 3. sacramentaliter. ——— In hoc est duplex meritum, fidei & obedientiæ.* Alexander Halensis ait; *Divina providentia voluit, quòd ad cumulum meriti voluntaria esset confessio.* Deinde ad patres quod attinet; Malè torsit Bellarminus * eorum sententias ad confessionem suam confirmandam, quæ perspicuè ad confessionem Deo factam pertinent. Vt cuivis, nisi oculos suos ab eisdem locis de industria dejicienti, appareat.

Bonavent. in sent lib. 4 dist. 17. ar. 3. q. 3.

I. de Comb. compend. lib. 6. cap. 25.

Th. Aquin. p. 1 r. 3. q. 7. ar. 2.

Alex Halens. par. 4 q 76. mem. 3. ar. 2.

** Ambros. de pœnit. lib. 2. ca. 6 Chrys. in Gen. hom. 20.*

Quinta, & sexta. *Confessio auricularis est impossibilis, & ad desperationem adducit. At hæ* (inquit Bellarminus) *supra refutatæ sunt, & rursus ex ipso Chemnitio refutari possunt.* Respondeo; Qualis Bellarmini refutatio fuit, videat lector cap. 16. At quomodo quæso ex Chemnitio refutantur? Quia (inquit Bellarminus) *Si enumeratio in confessione coram sacerdote sit impossibilis,*

ſibilis, & in deſperationem adducit, tum confeſsio, qua coram Deo. Admiſit enim Chemnitius pag. 982. peccata coram Deo in ſpecie explicanda, & citra iſtam confeſsionem, impoſsibile eſſe hominem ſalvari. Reſpondeo; Liceat mihi Bellarminum poetæ verbis affari, Nomine mutato, narratur fabula de te. Ille enim, in reſponſione ad rationem quartam, aſſerit; *Scholaſticos non docere, per confeſsionem nos mereri remiſsionem peccatorum. Hæc enim* (inquit) *mendacia Chemnitij, non Theologorum ſententia ſunt.* Eadem verò ſcholaſticorum eſſe ſententias oſtendimus. Hîc etiam ait Chemnitium dicere, *quòd impoſsibile ſit, hominem, ſine hac particulari peccatorum enumeratione poſſe ſalvari.* Illud etiam & hoc ſunt Bellarmini (pace viri venerabilis dixerim) mendacia, at hæc non eſt Chemnitij ſententia. Nam verba Chemnitij hæc ſunt. *Qui nec ingemiſcunt, nec lachrymam proferunt, nec confitentur; hos ſalvari eſt impoſsibile. ---- Vt aliquo modo agnoſcamus multitudinem, gravitatem, & fœditatem peccatorum &c. ---- Hæc confeſsio vel in genere peccatorum reum ſiſtit Deo; vt publicanus dixit, Deus propitius eſto mihi peccatori &c.* Deniq; Chemnitius accuratam pontificiorum enumerationem, in confeſsione Deo facienda, neceſsariam eſſe nullo loco aſſerit.

SIGILLVM CONFESSIONIS

Commentum humanum, & quoad Ecclesiæ Romanæ documenta, insulsum, impium, & inhumanum esse ostenditur.

CAP. 1.

In quo ostenditur, quàm vehementer constitutio hæc humana à pontificijs vrgetur.

EVersis Bellarmini machinis, quibus ille confessionem clancularian astruere conatus est, ad sigillum, quod eodem fundamento nititur, descendam. Hic autem misso facto Cardinale (vt qui sigillum in controversijs suis prorsus omiserit) cum alijs pontificijs agendum est.

Sigillum confessionis obligationem quandam divinam esse volunt, qua Confessarius arctissimo vinculo tenetur, ea, quæ in confessione audiverit sub silentio servare. Hæcq; est pontificiorum sententia communis; *Ius sigilli nullo casu, nulla causa, ob nullam finem violandum est*. Huius etiam vinculi potestatem thesibus quibusdam monstrant. *Tanta* (dicunt) *religione colendum esse confessionis sigillum, vt res, quæ tantùm per viam confessionis scitur, non revelanda sit.* Nimirum si fortè sacerdos peccata scripta inveniat, ea sub sigillo cadunt. Hoc autem quid absurdius? Primò enim [a] *Confessio in scriptis, non est Confessio sacramentalis*, vt ipsi pontificij docent. Deinde an hæc qui perdidit animo confitendi, cum pœnitentia & corrigendi proposito scripsit (quæ in confessione sacramentali requiruntur) non est sacerdoti cognitum. Qua ratione igitur teneretur sacerdos ea sub silentio tam diligenter servare?

Dom. Soto in sent. lib. 4. dist. 18. q. 4. art. 5.
[a] *Decret. de pœnitent. Caietan. sum. in verbo confess. Dom. Soto in sent. 4. d. 18. q. 2. ar. 6. Confessio in scriptis non est valida.*

vare? Imo, [b] dicunt, *Fortiori vinculo ligatur confessor ad celandum quàm pœnitens ad confitendum.* At hoc quid est, nisi iuuolantiam destruere propter accidens? Confessio enim tantum salutis medium apud pontificios habetur, vt sine æternæ salutis dispendio omitti non possit. Num sub tali damno cadat sigilli violatio, quod [b] pontificij nonnulli fatentur non esse de essentia sacramenti? Sed quid ego sigillum cum ipsa confessione comparo? cùm [c] doceant *Baptismum & Eucharistiam posse licitè omitti ob mortis comminatæ periculum, at non posse vllo modo sigillum.* Vah quàm iniurioſi sunt in divinam maiestatem homunciones isti nequissimi, qui mysterijs divinis, tremendisq; (vt Chrysostomus appellat) figmentum humanum anteponere non vereantur?

Sed vt vinculum sigilli melius innotescat *ἰσχύος* quasdam apud pontificios frequentes proferam. Si contingeret, vt Sacerdos in nemus cum duobus latronibus ingrederetur, qui illum interficere constituissent, alter verò eorum, propositi sui pœnitens, sacerdoti rem confiteretur; Communis est pontificiorum opinio, non licere Sacerdoti fugere (ne fugiendo confessio detegeretur) [a] sed eum mori potius martyrem debere. Non martyrem dicerent, sed miserum, & stolidum, vt qui propriæ mortis conscius sit. Deinde [b] alij asserunt, *Licèt Sacerdos videat personam innocentissimam, dignitate & authoritate maximam, in supplicium capitis rapi, sitq; certissimus per sontis confessionem, illum esse innocentem, possitq; eum facillimè, detecta coniuratione, liberare. Neutiquã illi fas est.* Dicunt præterea; *Si peccator confiteatur Episcopo, se sæpe & vehementer tentari ad occidendum ipsum Episcopum, nec adhuc animum deposuerit, Episcopus non potest directè, ante occisionem attentatam, arma & alias defensiones parare, ne proderetur confessio.* Ecce qualis hæc est obligatio sigilli, quæ virum innocentissimum omni providentia, & iure se defendendi, contra paricidam sceleratissimum, privat. *Vides* lector (vt olim dictum est Prophetæ) *magnas abhominationes, adhuc conuersus & videbis abhominationes maiores.* Duriores enim sunt pontificiorum de sigilli vinculo sententiæ. *Certum est* (inquit Zuares) *obligationem huius præcepti tantam esse, vt in nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro tuenda tota republica ab ingenti malo temporali, violare illud licet.* Michael etiam de Palatio dicit, *Si confitens confitetur, se deliberasse*

[a] Nic. de Orbel. in sent. lib. 4. dist. 21. Gul. Rubione in 4. sent. dist. 21. q. 4.
[b] Dom. Soto que supra. Henric. Henrig. sum. de pœnit. l. 2. c. 19. n. 2.
[c] Henr. Henrig. ibid. n. 3. Soto in sent. 4. dist. 18. q. 4. ar. 5
Jo. Medina. tract. de pœnit. q. 45.
[a] Rellè dixit Mich. de Bonon. Hoc videtur nimis durum nec ego facerem. In sent. 4. dist. 21
[b] Dom. Soto ib. cum alijs. Erue eos qui ducuntur ad mortem. pro. 24. 11.

Ezech. 8. 6. Zuar. in 3 part. Thomæ Tom. 4 disp. 33. §. 1. Mic. de Palat. in sent 4. dist. 21 disp. 2.

liberasse occidere Regem, vel Papam, vel incendere vrbem, aut tradere vrbem hostibus fidei. Aut finge alia, qua volueris, mala; grauius malum est revelando arcere homines à confessione.

Hæc mala certè satis gravia sunt; & tamen illis graviora Henricus Henriques finxit. *Ob nullam* (inquit ille) *causam confessa revelari possunt, quamvis esset totius orbis salus ---- Nec pro vitando vllo damno, etiam grauissimo innocentis, aut quòd esset totius orbis conflagratio, aut præversio religionis, & omnium sacramentorum intentata demolitio, quam hæreticus pœnitens paratam esse confitetur.* Gravius etiam finxit Iesuita qui dixit, *Si vita Iesu Christi, iam in mundo mortali carne vestiti, in discrimen adduceretur*, etiam ob hoc sigilli obligationem non esse violandam.

Hen. Henriq. sum. de Pœnit. lib. 2. cap. 19. n. 5.

Vide Regis. meditat. in Orat. Domin. pag. 63.

Deus bone, quanta hæc impietas? Quanta vesania? Quanta immanitas? In pontificios illud Christi, contra Pharisæos, benè quadrat; *Hypocrita, irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Quis etiam æquo animo ferat, vt summa salus Reipublicæ, atq; Ecclesiæ propter commentum vanissimum periclitaretur? Quis, nisi *cor eius induret tanquam lapis, & quasi malleatoris incus stringatur*, hæc plus quàm draconica in lucem & aspectum hominum protulisset? Veriſſimè dixit Thomas Argentinensis *Quosdam sigillo confessionis nimium tribuere.* Nec tam multùm miror, atq; solebam, Henricum Garnettum proditionem pulverariam, sub prætextu sigilli obtexisse. In qua Rex Potentissimus, doctissimus, Sapientissimus, vnà cum Regina sua sereniſſima, prole Regia, flore Nobilium, atq; omnium regni ordinum viris prudentissimis nec tam nefandæ devotus est: Cùm Henricus iste & Iesuita ille eò insaniæ processerint, & confessionis sigillo tantum tribuerint, vt *totius orbis conflagratio, religionis præversio, omnium sacramentorum demolitio, vita etiam Iesu Christi periclitatio* (mala sanè quibus ne diabolus ipse maiora excogitare poterat) potius admitterentur, quàm obligatio sigilli violaretur.

Mat. 15. 6.

Iob. 41. 15.

Thom. Argent. in sent. 4. dist. 21. art. 1.

CAP. 2.

CAP. 2.

Argumenta pontificiorum pro sigillo discutiuntur.

IN tantis malis, & miserijs (quæ recitavimus) pro secreto confessionis tuendo, quis argumenta validissima non expectaret? At nulla, nulla tamen à pontificijs, nisi elumbia prorsus, & enervata proferuntur.

Zuares in 3 partem Thomæ dicit, *Fundamentum præcipuum huius veritatis est communis consensus ecclesiæ, eiusq; perpetua traditio, cuius nonnulla vestigia in antiquitate inveniuntur, quamvis pauca.* Respondeo; Si hoc sit præcipuum sigilli fundamentũ, profectò valde erit vacillans eius ædificium. Non enim nonnulla, sed omnino nulla huius vestigia in antiquitate inveniuntur. Et Zuares magna exemplorum penuria laboravit, qui tam pauca, vel tam nulla potius adduxit. *Hoc infinuat* (inquit) *Leo Papa Epistola 80.* Sed Leo non omnino insinuat, cuius verba hæc sunt, *Tum demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populis auribus non publicetur conscientia confitentis.* Leo enim eò loci non loquitur de publicatione peccatorum, quæ in secreta confessione audiuntur, sed quæ in publica, & quæ in auribus populi publicantur. *Zuarez in 3. par. Thoma Tom. 4. disputat. 33. §. 1.*

Citatur secundo loco Basilius, apud quem ne minimum quidem apiculum pro sigillo reperitur. *Basil regul. Monash. cap. 21.*

Tertium testimonium sumitur ex salutatibus Augustini documentis. Dignum patella operculum. Nam illum librum Possevinus, Bellarminus, & totus Lovaniensium Chorus, vt suppositicium, & Augustino indignum, reijciunt, abdicant. *Cap. 32. Possevin. in apparat. Beller. de script. Ecclesiast. Lovaniens. in censur.*

Nec dissimile est proximum [a] Paulini testimonium. Tam perspicuum enim est, authorem istum Paulinum Nolanum non fuisse, vt a [*] multis pontificijs pro subdititio habeatur. Qui, si genuinus esset, causæ pontificiæ non suffragaretur. *Causas* (inquit) *quas Ambrosio confitebantur, nulli, nisi Domino soli, loquebatur.* Nisi enim ad damnum aliquod vitandum, aut periculum avertendum, nos ita alijs faciendum concedimus. [a] *In vita Ambrosii.* [*] *Bellarmin. Baronius. Possevin. &c.*

Gregorium deniq; hesternum, vltimum Zuarij testem, quis tanti faciet, vt ex illius authoritate dogma hoc novitium & impium penderet? En communis consensus, & traditionis perpetuæ *Gregor. in cap. sacerd. de pœn. dist. 6.*

Prou.30.19. petuæ veſtigia, quæ ſunt *tanquam via aquila in cælo*, Nuſquam ſanè inveniuntur. Nemo planiùs argumenta, apud pontificios vſitata, protulit, quàm Gregorius de Valentia. Illum igitur, ea diſcutiendo, conſequar. *Triplici* ([b] inquit Gregorius) *iure obligatio Sigilli continetur*; nimirum, *naturali, Diuino, & humano*. Ad tertium primò & breviter reſpondeo; Non eſt tanti jus humanum, & quaſi heſternum, ad tam grave documentum, contra jura humana & Divina, ſtabiliendum. Ad primum quod attinet. Non malè negat [c] Zuares, *hanc obligationem ex iure naturali pendere*. Naturalia etenim jura ſunt vniverſalia & perpetua; Cùm jus Sigilli (ſatentibus ipſis pontificijs) temporaneum ſit; Niſi dicamus Sigillum Sacramentale ante Sacramentum ipſum, ortum ſuum habuiſſe.

[b] *Greg. de Valen. Tom. 4 diſput. 7. queſt. 13. punct. 1.*

[c] *Zuares quo ſupra.*

Gregorius autem jus illud naturale duplici ratione niti diſputat. Prima, *ne proximi fama ledatur*. Cui pro me reſpondebit [d] Gabriel Biel; *Oportet proximi famam conſervare, dum illud fieri poteſt, ſine maiore detrimento*. At majus detrimentum eſt vitæ viri innocentis jactura, quàm homuncionis nefarij [e] fama. Cui dum ipſe non omino proſpicit, quorſum alij eam magnopere curarent? Altera ratio; *Ne quid committatur contra fidelitatem*. At iniquiſſimos conatus nequiſſimi cõfitentis patefacere, non eſt aliquid contra fidelitatem agere; ſed potius contra perfidiam & iniquitatem. [a] Fidelitas enim, & amicitia, vel apud ethnicos, [b] ad aras tantùm progreſſa eſt. Certè ſi quis ſe voto, vel juramento, ad ingentis mali celationem, aſtrinxerit, illud retinendo bis peccaverit. Tritum illud Iſidori; *In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum ---- impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur*.

[d] *Gab. Biel in ſent. 4 diſt. 21.*

[e] *Conſcientia præferenda eſt famæ. Aquin. 22. q. 33. ar. 7.*

Gul. a Rubione fatetur ſecretum ſi ſit contra Deum & in præjudicium alterius non eſſe celandum in ſent. 4 diſt. 21. q. 4.

[a] Navarrus etiam, benè videns argumentum à natura non valere, contra hanc ita concludit, *Legem de ſecreto ſervando non ligare, quando cum alia ſe fortiore concurrit, qualis eſt de innocente tuendo*.

[a] *Aul. Gellius. Noct. Attic. lib. 1. cap 3. Mart. Alpil. Tom 3. de pœn. diſt. 5. Zuar. in 3. par. Tho To. 4 diſp. 33. §. 1.*

Iure naturali & humano ita profligatis, ad divini trutinam progrediar. Quomodo autem illud fundetur, multos torſit pontificios, qui oſtendendo fruſtra deſudarunt. Hoc ex diſputationibus & ſententijs Vaſquis & Zuarij, planè conſtat. Zuares enim varias aliorum pontificiorum rationes, vt non ſanas

sanas, refutans, & reijciens, propriam, pro conclusione, ita infert. *Valdè verisimile est, supernaturale esse & diuinum* (id est ius Sigilli) *& connaturale, et intrinsecum huic sacramento.* Vasques autem sic; *Existimo fuisse præceptum positivum, ex voluntate Dei superadditum confessioni, vniuersaliter obseruandi secreti, non secutum naturaliter ex ipsa institutione sacramenti, vt quidam dicunt.* Est connaturale, inquit Zuares; nonsequitur naturaliter ex ipsa institutione, ait Vasques. Sed vbi tandem, vel præceptum illud, vel significatio Dei reperitur? Silent enim sacræ literæ, nec aliquid huiusmodi insinuant. Si reperiatur proferantur tabulæ, notetur vel vnus locus, aut saltem fateantur pontificij, ius diuinum Sigilli nonnulli inueniri. *Vasques in 3. part. Tho. Tom. 4. q. 90. art. 4. dub. 1.*

Navarrus ita ratiocinatur. *Qui instituit aliquid, omnia instituisse censetur, sine quibus illud consistere nequit. Christus autem confessionem instituit; ergo & Sigillum confessionis, sine quo ipsa confessio consistere non potest.* Hic inprimis nego minorem propositionem. Christus enim confessionem non instituit; vt perspicuè ostendimus. Deinde si instituisset, non ex eo sequeretur, illam sine Sigillo non omnino consistere potuisse. Idcirco Gregorius de Valentia maiorem propositionem ita moderatur; *Non potest commodè fieri.* Ipse etiam præterea dico, confessionem, absq; hoc arctissimo Sigilli vinculo, sartam tectam commodè posse consistere. Nam ratio quæ à Gregorio & Nauarro affertur, (scilicet quia *homines à confessione sine Sigillo arcerentur*) est prorsus nihili. Verè enim pœnitentes (quorum peccata solùm sub Sigillo cadunt) non omnino arcerentur. Quia eorum confessiones alto silentio tegendas omnes fatebuntur. Si autem impij, qui nefanda scelera moliuntur, à confessione arcerentur, quid inde damni honestæ confessioni accideret, non video. Imo quorsum huiusmodi confitentes venirent, nisi vt consilio Sacerdotis religiosi emendarentur, vel eorum proposita nefaria palam fierent, quò sibi boni viri cauerent. *Quo supra.* *Quo supra.*

Altera Gregorij ratio à scandalo sumitur, quod confessionis patefactio præbeat, quia ius diuinum violatur. Hic autem est petitio principij; nimirum Sigillum confessionis esse iuris diuini. Deinde si de peccatis committendis disputatio sit, celando, potius quàm reuelando, scandalum crearetur. Nec apud viros bonos

& æquos rerum æstimatores, maius scandalum Ecclesiæ Romanæ contingere potuit, quàm ex proditionis pulueriariæ occultatione contigit. Deniq; Sylvester vester verè dicit, *Homicidium scandalo maius malum esse.* Nonne igitur scandalum illi cedere debeat?

Sylvest. sum. de confess. 3. Quantum ad Sigillum n. 2.

Est altera ratio Thomæ, & aliorum pontificiorum, ab Analogia & conformitate inter Deum & Sacerdotem; *Sacerdos confessionem audiendo est in loco Dei;* [a] *Deus autem peccata obliviscitur confitentium, & tegit; ergo debet Sacerdos.* Ex hoc argumento sequitur, non debere confessarium opera pœnitentialia confitenti injungere. Nam Dei celare est non punire. Idcirco si Sacerdos opera pœnalia iniungat, vbi erit conformitas inter Deum & Sacerdotem? Deinde ex eodem sequitur, quòd confessarius quorundam confitentium peccata celare non debeat. Nam vt Deus eorum tantummodo peccata obliuiscitur, & tegit, qui verè sunt pœnitentes, & *vias suas impias relinquunt*; (sicut videre est loco [b] Ezechielis citato) Ita Confessarius ejus peccata, quem eorum verè pœnitet, celare debet. Sed si confitens non pœniteat, nec propositum desistendi habeat, sicut Deus nec obliviscitur, nec tegit, ita neq; debet Confessarius. Et hac ratione adductus Iohannes Medina dicit, *Confessionem de committendis non cælandam esse, quia Deus non tegit committenda.* Sed quia fortasis pontificiorum responsiones pontificijs meliùs arridebunt, illas adducere non gravabor. [a] Navarrus hanc responsionem, & responsionis suæ rationem adhibuit; *Hæc ratio fragilis videtur. Nam multi alij, præter confessarium, celare tenentur, qui locum Dei non tenent.* [b] Zuares etiam, inter alias pontificiorum rationes ab illo refutatas, hanc de analogia inter Deum & Sacerdotem, non sine ratione sua, refellit. Nempè *Quia non est de substantia huius sacramenti, vt secretò fiat.* Bonauentura argumentum paulò aliter fabricavit. *Ea, quæ geruntur exteriùs in sacramentis, sunt signa eorum quæ interius contingunt &c. Deus autem tegit ergo sacerdos debet.* Certè quale sacramentum, tale argumentū. Huic etiam [*] pontificius respondebit. *Signa & signata necessariò esse comparanda, in rebus principalibus, qualis est remissio, non celatio.* Hisce igitur pontificiorum argumentis, & responsionibus perpensis; de eisdem aptè dicam, quod [c] Lactantius de Ciceroне,

[a] Ezech. 18.

[b] Ezech. 18. 21

Ioan. Medin. Tract. de pœnit. l. 4. c. 47.
[a] *Vbi supra.*
[b] *Zuares quo supra.*
Bonav. compend theol. veritat. de sacram. vict. lib. 6. cap. 28.
[*] *Durand. in sent. lib. 4 dist. 21. q. 4.*
[c] *Nox ab vllo poterit citerò quam à Cicerone vehementius refutari Lactant. Instit. lib. 3. c. 29*

ne. *Non ab vllo peritiores pontificij, quàm à pontificijs vehementiùs refutari.*

CAP. 3.

Miſera pontificiorum ſubterfugia, ad Sigillum confeſſionis conſervandum.

SI ſacerdos ad teſtificandum aliquid coram judice adductus, & ab eodem de crimine in confeſſione audito interrogatus fuerit, quid huic faciendum? *Hac res* (ait Michael de Palatio) *quia difficilis, eximios torſit auctores.* Et torſit ſanè. Sed communis eſt pontificiorum ſententia, quòd ſacerdos reſpondere poſſit, ſe neſcire quæ in confeſſione audivit, & reſponſionem iſtam, ſi opus ſit, juramento confirmare. Ita Biel: qui & rationem negationis communem addit; *Poteſt ſecurè ſub iuramento reſpondere, non novi; quia novit vt Deus, non & homo.* Addit autem Han. Roſſelus, *Non novit tanquam purus homo.* Et non male. Sæpe enim vt impius & impurus novit. Non deſunt inter pontificios, * qui ſacerdotem vt hominem audire affirmant. Idcirco [a] Melchior Flavius ait; *Quamvis confeſſarius, non in perſona Dei, ſed in propria, veluti altiſſimi miniſter, peccatorum defectus agnoſcat, quemadmodum & in propria abſolvit perſona, nihilo ſecius iure naturæ tenetur &c.* At hoc jus naturæ à pontificijs plurimi, exploſum eſſe [b] oſtendimus.

M. de Palat. in ſent. 4. diſt. 21. diſput. 2.

G. Biel in ſent. 4 diſt. 21. H. Roſſel. de ſacram. lib 9. diſt. 14. cap. 19.

* *Vid. M. de Palat. in ſent. 4. diſt. 21 diſp. 2.*

[a] *M. Flau. in ſent. 4. diſt. 21. q. 2.*

[b] *Cap. 2.*

Non memini me legiſſe niſi vnicam hujus negationis defenſionem, è ſcripturis ſacris petitam: eandem autem ſæpius à pontificijs, in diſputationibus ſuis, agitatam. Nempe quia Angelus, ad Moſen loquens, in perſona Dei dicit, *Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham &c.* Sed errant mirum in modum ſcholaſtici, dicentes Angelum ad Moſen locutum eſſe. Verbà enim ſunt, *Et clamavit ad eum* * *Deus de medio rubi.* Vbi Angelus loqui non dicitur, ſed Deus. Deinde etſi angelus aliquis, ex voluntate Dei, officium illud loco Dei ſubijſſet, probandum tamen reſtaret, ſacerdotem confeſſionibus audiendis ita ſuffectum eſſe. Præterea, in hoc caſu, multùm differunt locutiones affirmativæ & negativæ. Etſi enim qui duplicem quaſi perſonam induit, verè dicatur vel in hac, vel in illa locutus eſſe: Non

Exod. 3. 6.

* *vox*

poteſt tamen reſpondere, ſe locutum non eſſe, quoniam in vtraque perſona locutus eſt. Ita licèt ſacerdos reſpondere poſſet, ſe & vt Deum, & vt hominem aliquid audiviſſe: Non poteſt tamen negare, ſe vel vt hominem, vel vt Deum audiviſſe, quia vtroq; modo audivit. Sed dico, Angelum, qui apparuit, Moſi, ſpiritum creatum non fuiſſe. Hoc vt planiùs appareat, inprimis notandum eſt, tum ex patribus, tum etiam ex Scripturis, Chriſtum, ante manifeſtationem ſuam in carne, patribus antiquis, [a] ſpecie quadam humana, more Angelorum, apparuiſſe, & [b] Angeli nomen huic datum eſſe.

Gen.48.16. Conferantur Exod.14.19. & 13.21. 1.Cor.10.9.
[a] Ioſ.5.13.
[b] Mal.3.1.

Hocq; in loco eundem, qui ad Moſen locutus eſt Chriſtum Dominum fuiſſe, plurimi patres teſtantur. [a] *Poteſt rectè intelligi ipſe ſalvator*, ait Auguſtinus; *Ipſe, qui ad Moſen loquebatur, erat Dei filius*, inquit [b] Tertullianus. Idem planè aſſerunt [c] Ignatius Martyr & [d] Hilarius. Quocirca ſi Angelus ille ſit Chriſtus, *magni conſilij, & fœderis Angelus*, corruit ratio pontificiorum. Huic etiam patrum ſententiæ tranſlatio vulgata ſuffragatur; Apud quam vtroq; in loco nomen Domini habetur. *Apparuit Dominus in flamma*; *& Dominus eum vocavit.* Nam interpres ille inſinuare videtur, Angelum qui apparuit, Angelum fœderis fuiſſe, nempe Ieſum Chriſtum, *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Hìc autem aliud dubium occurrit. Si ſacerdos interrogatus ſit, an tanquam Deus audivit, quid illi reſpondendum eſt? *Sine mendacio* (inquit H. Roſſelus) *dicere poteſt ſe non ſic audiviſſe*; *Quia non audivit vt cauſa principalis, ſed miniſterialis potius.* Deus bone, quanta hæc inſania? Nec vt homo, nec vt Deus audivit; audivit tamen. Num igitur vt Dæmon? Sed ſi audivit vt cauſa miniſterialis, audivit vt homo, Nam vt homo dei miniſter exiſtit.

[a] Aug. de Trin. lib.2.cap.13.
[b] Tertull. adv. Iudeos.
[c] Ign.Martyr. dial.
[d] Hilar.de Trin lib.4.

Rom.9.5.

H.Roſſel. de ſacram.lib.9. diſt. 17.cap.19.

Non malè diſputat Michael de Palatio, contra hanc reſponſionem, *non novi vt homo*; *Neſcire vt homo eſt humanitùs ſcire, vel per viam humanam ſcire, vt Prophetæ revelata neſciebant vt homines &c. Sed confeſſor non tenuit ex revelatione; ergo vt homo.* Idcirco, licèt Durandus aſſerat, Sacerdotem poſſe *ſine ſcrupulo conſcientiæ dicere, ſe neſcire*; verè dicit Michael, illud *non vacare ſcrupulo.*

M. de Palat. quæ ſupra.

Durand in ſent. 4 diſt.21. q.4. Ibid.

Sed dicent fortaſſis pontificij, neſcire dicitur vt homo, non

quoad

quoad modum sciendi, sed quoad personæ substitutionem. At hæc responsio etiam inepta est. Quis enim interrogando an noverit, intendit vt respondeat se, vel vt hominem vel vt Deum, scire, cùm quæstio generalis sit, noverit necne? Deinde ex ipsa confessionis forma sequitur, Confessarium vt hominem scire, quia pœnitens dicit *Confiteor Deo & tibi.* Populus Israeliticus ad Mosen venerunt, ad consulendum Deum. Num ausus fuerat Moses iurare, populum ad illum non venisse, illum non consuluisse? Hoc deniq; pontificios interrogarem; si ille, qui vt Deus audivit, in gehennam (locum mendicabus dignum) conijceretur, quo in loco esset, qui audiuit vt homo? Michael de Palatio, illud subterfugium, à persona confitentis, vanum esse videns; aliud à foro deductum excogitavit. *Cùm confessio* (inquit) *non sit fori politici, sed interni pœnitentialis, ideo iurans se nescire verum iurat, si intendat, se nescire quæ interrogantur in foro illo exteriore. Nam si intenderet iurare, se nescire quæ sunt sibi confessa, falsum iuraret.* At hoc non minus vanum quàm alterum; quia veritas eadem est, in quocunq; foro quæstio agitatur, nec minus cognita in vno quàm in altero. Deinde si concederem, Confessarium negare posse in foro exteriore politico; in foro tamen interiore & pœnitentiali reuelare posse, ex hac ratione sequitur; vnde via pateat omnia detegendi. Deniq; hoc notandum est, Michaelem verè contra alios affirmare, *quod Confessor iurans se nescire, qua in confessione audivit, falsum iurat.*

Exod. 18. 15.

Apoc. 22. 8.

qua supra.

Nec in hisce pontificii subterfugiis acquiescunt. Thomas enim (quem & alii sequuntur) dicit; *Si nimium vrgeat iudex, fugiendum ad diverticula.* Ioannes Medina responsionem illam sacerdotis, coram iudice, ita explicat, *Nescio, id est ad revelandum nobis.* Vasques ait, sacerdotem posse negare, se audiuisse, sine mendacio, *cum hac restrictione interiore, Nescio, scilicet vt tibi dicam.* Nonne pontificii, qui hæc diverticula excogitarunt, subterfugia superiora non sufficere agnoscunt?

Io. Medina. tract. de pœnit. tent. q 45. Vasques in 3. part. Thomæ Tom 4. q 90. Dub. 12.

Illud interim obseruandum est. Quòd Vasques Nauarrum reprehendat, quia *huiusmodi secretas restrictiones, in communi hominum convictu concedit.* Cuius etiam ratio magni est momenti. Nempe, *Hoc planè destruit convictum humanum, & omnino humanam fidem subvertit.* Quæ quidem ratio est contra istas restrictiones

Vasq. *qua supra.*

ſtrictiones in iudicio fortiſſima. Nam ſi ſimplex, & nuda veritas vllum ſibi aſylum vendicet tum illud iudicij publici vel maximè. Si in vlris aut rebus vllis, tum præcipuè in ſacris. Et ſi, in communi hominum convictu, huiuſmodi reſtrictiones fidem humanam ſubvertant, quantò magis in iudicio, quod vt ſanctum, ita vltimum refugium, ad veritatem inveſtigandam reſtat. Verè dixit Iſocrates, Ἀλλ' ἀληθῆ, καὶ δίκαια, καὶ ὅσια, καὶ λυσιτελοῦντα λέγειν. Quàm longè igitur hi ſunt à bonitate & fide, qui nihil in ſermone veri, nihil iuſti amplectantur? Et qui iuramentum quod *in veritate, iudicio, & iuſtitia ſuſcipi debet* ad ineptias & impietates ſuas ſuffulciendas, violare, fœdare non reformident? Ecce ad quàm cœnoſas latebras adiguntur, qui vanitatem defendere ſtudeant.

Iſocrat. Nicocl. Orat. 3.

Ierem. 4. 2.

CAP. 4.

Caſus quidam, in quibus ſacerdoti ea revelare licet, quæ in confeſſione audivit.

Gr. de Valen. Tom. 4. diſp. 7. q. 13. punc. 4.
M. de Pal. in ſent. 4. diſt. 21. diſp. 2.
M. de Bon. in ſent. 4 diſt. 21.
Th. Argent. ſent. 4 diſt. 21. ca. 1.
Turrecrem in decretal. p. 2. d. 6.
Hen. Henr. de pœn. lib. 2. cap. 10. n. 10.
H. Roſſil. de ſacra Sylveſt ſum. Conſcſ. 3. n 11.
G. Biel. ſent. 4. diſt. 21.
Io. Andreas in ſent. 4. diſt 21. Ia. Alm ſent. 4 diſp. 18 q. 1. Veſq. in 3 pt. Tho. To. 4. q. 190. ar. 1. dub 5. Navar. To. 3. de pœnit. diſt. 5.

GRegorius de Valentia dicit, *Communis omnium ſententia eſt, vnicum tantùm eſſe caſum in quo revelare confeſſionem licet. Ille eſt, cùm pœnitens ipſe ſponte ſua, vel rogatus, facit poteſtatem confeſſario, alicui alteri manifeſtandi.* At toto cœlo errat Gregorius. Nec enim communis omnium eſt ſententia, nec vnicus eſt caſus. In hoc caſu linguæ Babylonicæ valdè dividuntur. Ait Michael de Palatio, negat Michaël de Bononia. Ait Thomas Argentinenſis, negat Iohannes de Turrecremata. Ait Henricus Henriques, negat Hanibal Roſſelus. Ait Sylueſter Prieriius, negat Gabriel Biel. Ait Ioannes Andreas, negat Iacobus Almayn. Ait Vaſques, negat Zuares. En mirabilem pontificiorum, in doctrina ſua, conſpirationem. Plures etiam recenſere poſſem, non ſolùm ſententijs, ſed etiam rationibus mutuis concertantes. Sed quorſum ipſe tempus, hoſce negatores recenſendo abſumeretem?

Alter caſus eſt, de quo omnes (quos memini me vidiſſe) pontificij conſentiunt. Hocq; eſt quando Confeſſarius conſilio indiget. *Nam ſacerdos imperitus* (quales olim plurimi fuerunt) *de*

peccato

peccato, & medicina peccati, debet superiorem consulare, ait, cum multis alijs, [a] Ant. à Butreo. At quam absurdum est, licere illud ob vnius satisfactionem, quod pro totius mundi conseruatione non permittitur?

[a] *Ant. a Butreo sup. decretal. de pœn & remiss. c. 12. n. 14.*

Alter casus est, quem vno ore pontificij iustum esse profitentur. Nempe [b] *quando aliquis ficte venit ad impetrandum à Confessario consilium, vel auxilium, super aliquo peccato. In illo casu Sacerdos celare non tenetur.* Imo [c] Michael de Palatio planè dicit, *hæc confessio non est obtegenda.* Dominicus etiam [d] Soto censuram magis peremptoriam adhibuit; *Iste confitens statim puniendus est.*

[b] *Quare igitur Gabrielius consilium alterum scientia ita venientium celauit?*

[c] *M. de Palat. Quo supra.*

[d] *D Soto in sent. dist. 18. q. 4. ar. 5*

Est etiam alter casus, nimirum quando sacerdos aliquid scit non solùm per Confessionem, sed alio etiam modo. De hac re autem pontificij vnà non consentiunt, vt ostendit Thomas Argentinensis. *Circa hoc* (inquit ille) *triplex est opinio. Quidam dicunt quòd non sine ante nouit, sine post confessionem. Quidam dicunt, quòd confessio excludit libertatem reuelandi quæ ante confessionem nouit.* Tertiam igitur opinionem addit, quam & veriorem appellat; nimirum *Quòd sacerdos ea tantùm peccata celare obligatur, prout in confessione audita sunt.* Hisce etiam addi potest illud Farinacij, *In crimine hæresis aliqui dixerunt specialissimum esse, quòd sacerdos hæreticum sibi confitentem reuelare possit.* Secundùm illud, *Hæresis est crimen quod non confessio celat.* Hanc autem opinionem plurimi scholastici reijciunt; nisi quatenus sacerdos modo quodam generali superiorem moneat, *Lupum esse in grege, quò contagio melius vitetur.*

Th. Argent. quo supra.

Farinac. tract. de hæres. q. 194 n. 46.

Ex hisce autem casibus apertè ostenditur, pontificios sibi ipsis non constare, qui dicunt *Sigillum confessionis nullo casu, nulla causa, ob nullum finem violandum esse.* Dicunt præterea pontificij, non violari Sigillum, *si reuelatur confessio non persona.* At hoc absurdum mihi videtur, cùm peccatum ipsum, non persona confitentis, materiale confessionis sit. Deniq; quorsum huiusmodi casus adducuntur, si personæ reuelatio tantùm confessionis reuelationem impediat? Nam in alio quouis casu, personâ celatâ, sacerdos confessa celare non tenetur. Vel frustra igitur isti casus ponuntur, vel in ijsdem personam Confitentis reuelare licet.

CAP. 5.

Vis, & im Sigilli, in peccatis committendis tractatur.

SIcut antea confessionem consilij honesti, & consolationis licitam & laudabilem esse dixi. Ita eandem sub altissimo silentio tegendam esse sentio. Et sacerdotem omni probro & dedecore dehonestandum iudico, qui in publicum peccata profert, quæ pœnitentes angore conscientiæ, & cruciatu animi agitati, confessi sunt. Sed de qualitate peccatorum distinguendum est.

Primò enim res Regum, Rerumq; publicarum, à priuatorum negotijs longè differunt, & vulgarem consuetudinem superant. *Non est temerè in vno homine summa salus reipublicæ periclitanda.* [2] *Si pereat Rex, lucerna Israelis extinguitur.* [b] *Reges orti suorum subditorum sunt spiritus.* [c] *Et eorum vnus pro decem millibus computatur.* Idcirco quando [d] David *Oram tantùm chlamydis Saul præcidisset, percussit eum cor suum.* Salus igitur Regum & Rerumpublicarum, neglecto consitente, summa cura conservanda est. Melius est vt pereat vnus, quàm vnitas. Bodinus varijs legibus sancitum effendit *Non solum eum, qui principem necavit, perduellionis reum esse. sed etiam eum qui tentauit; qui opem, consiliumve attulit; qui texit; qui voluit; qui cogitauit.* — *Ac tametsi (inquit) cogitationes hominum flagitiosorum nulla pœna leges prosequantur, sed eas quæ dicto, factove foras in scelus erumpunt: Si quem tamen vi landi principis prava cogitatio ceperit, etiamsi nihil tentaverit, hanc tamen cogitationem capitali pœna plecti oportere indicârunt.* Bodinus etiam ibidem historiam sui temporis luculentam, & ad hoc propositum accomodatam, narrat. *Nostra ætate (ait) cùm nobilis homo Regem Franciscum occidere se voluisse Franciscano socali religiose confiteretur, & ab eo scelerata istius cogitationis veniam efflagitasset; Rex tamen, à fraterculo scelerisadmonitus, confitentem eum comprehendi, ac iudicibus curiæ Parisiorum sisti iussit, à quibus capitis damnatus est.* Hęc Bodini eò fusiùs recitaui vt omnibus constet, pontificios antiquis Rerumpublicarum sanctionibus percelli, qui regum etiam vitas hisce temporibus tam parvi faciunt. Et quanta curâ virorum grauissimorum Curia principis saluti prospexit: quàmq; parui, in Regum

&

Cic. in Catil. Orat. 1.
[2] 2. Sam. 21. 17
[b] Thren. 4. 20.
[c] 2. Sam. 18. 3.
[d] 1. Sam. 24. 6.
Bodin. de Repub lib. 2. cap. 5.

& Rerumpublicarum casu, apud Ecclesiæ Romanæ alumnos, confessionis sigillum penditur.

Deinde magna est differentia inter peccata commissa, & committenda. Etsi enim illa, hæc tamen sacerdos celare non tenetur, vt [a] plurimi pontificij docent. *Nec si sacerdos talem confessionem revelaret* (inquit [b] Halensis) *posset condemnari, tanquam violator Sigilli confessionis.* Imò [c] Gigas hanc communem Canonistarum opinionem esse testatur. Cujus opinionis [d] Menochius communem rationem reddit, *Lex hoc concedit, vt evitetur factum.*

Imò alij pontificij vlterius procedunt & asseverant, sacerdotem non solum posse, sed etiam debere peccata committenda revelare. [e] *Tenetur confessor saltem in genere talem revelare confessionem*, [f] ait Anthonius Gabrielius. Modum etiam revelationis quidem ita exprimunt; [g] *Caveatis, quia tali die, ac tali loco debet fieri tumultus.* Ita Angelus Aretinus, [h] *Quando sacerdos per confessionem novit, magna imminere mala, vt proditionem in patriam, vel principem &c dicat, Claude portas vrbis aut domus &c.* Nec illud sine ratione. Qui enim non defendit nec obsistit (si potest) injuriæ in magno vitio est.[i] Ita etiam Altisidorensis: Tenetur impedire malum quantum potest. *Sacerdos revelare tenetur sub pœna peccati mortalis*, inquit [k] Ripa. [l] Ioannes Igneus ait, *Si pœnitens confitetur, se velle hominem interficere, patriam, vel principem prodere, sacerdos revelare debet, alioqui si non revelaverit, & postea sequatur homicidium, homicida erit.*

Nec est vltima hæc pontificiorum de patefactione peccatorum committendorum sententia: posse scilicet & debere sacerdotem, absq; personæ proditionne, confessionem revelare. [m] Dicunt enim apertè tum scholastici, tum Canonistæ, *Confessionem de committendis non esse confessionem. Non est vera confessio* (inquit [n] Hostiensis) *vbi confitetur non commissum, sed committendum, quod quilibet impedire tenetur. Confessio de committendis non est celanda, quia talis confessio non est sacramentalis,*

[a] Hostiens. de pœnitent. & remis. c.12.n.27. Egid. Bel. m. d.c.sacerd. de pœnit & remiss. dist.16. Decius. d.5. Cum non ab hamine.n.10.
[b] Halens. par.4 q.18.m.2. a.2.
[c] Gigas de crimin. lesæ maiest. §.lib.2. q.8.
[d] Menoch.de arbit. Iudic. lib. 2.cen.2.cas.180 n.2.
[e] Ant. Gabriel. Com. conclus lib. 7.concl.37.
[f] Angel.de Confes.cap vlt.
[g] Angel Aretin. d.s. hoc videtur
[h] Henric Henriq cum.de pœnit lib.2.ca.22. n.2.
[i] Etquisini dixisset Garnettus, Perseruare cyprias domus parisimentarias. &c. præsertim cum Pontificem de proditore patriæ non teneri inform verint. Garnet. autogra April 13.
[k] Altis. cent 4.17.
[l] Franc Riva tract.de peste. cap 8 n.115.
[m] Ioan.de Igne. de cenat. consult. fid. commiss. par.2 n.33. Ubiq; citat al os.
[n] Durand.in sent. 4 dist.2 q.4. Io Andr de pœn.et remiss.ca.12. Ant.a Butr. Pet.de Ancbor. &c.
[n] Hostiens. in decret. de pœnit. & remiss. cap.12.n.27.

ait [o] Ioan. Medina. *Peccata futura non sunt detecta in pœnitentiali iudicio, quandoquidem isti pœnitentes non pœnitent, sed animum habent peccandi*, dicit [p] Michael de Palatio. Cum eodem consentit Franciscus [q] Ripa; *Si aliquis confitetur, se velle interficere Titium, sacerdos potest revelare, quia peccatum non dicitur in foro pœnitentiali, quia peccator non habet contritionem. Si non sit modus & ordo confessionis, licèt dicat quispiam tibi dico sub Sigillo, non tenetur celare* ait [r] Bonaventura. Hinc concludunt pontificij, absolutionem tali confitenti impertiendam non esse. [s] *Qui non vult ab aliquo desistere, si sit mortale, sacerdos non potest absolvere —— quia si deest forma non est sacramentum. Nulla est de hoc inter scholasticos diversitas.* Imò *sine dubio*, (inquit [t] Melchior Canus) *Sacrilegus erit sacerdos, si cognoscens pœnitentem esse indispositum, illum absolvit.* Qui hæc legit scholasticorum & Canonistarum (columinum Ecclesiæ Romanæ præcipuorum,) modò non sit pœnitus cecutiens, facilè videbit sigillum confessionis in committendis peccatis nullum locum habere. Nam vbi peccator nõ habet contritionẽ; vbi non cõcedatur absolutio; Vbi confessio non fit in foro pœnitentiali; vbi non est modus & ordo confessionis; V bi non est confessio sacramentalis, quid sacerdoti cum sigillo? Vbi deest tum materia tum forma sacramenti (vt concedamus pœnitentiam esse sacramentum) profectò sacramentum existere non potest. Et si non sit sacramentum, quomodo exigitur Sigillum, quod confessionis sacramentalis appendix tantum existit.

Imò ex his fundamentis plurimi pontificij expressè affirmârunt, *Peccata futura non cadere sub Sigillo*, vt ostendit [a] Micha. de Palatio papali magister. Quibus etiam multò plures addi possunt. *Nunquam occurrit vnicuium sacri Sigilli confessionis, nisi vbi confessio est sacramentalis*, ait [b] Dom. Soto. [c] Emanuel Sa totidem ferè verbis asserit, *Sigilli obligationem non esse, vbi non est confessio sacramentalis.* [d] Navarrus quoq; dicit, *Qui revelat secretum revelatum sibi sub sigillo confessionis, vt vulgò fit, sine sacramentali peccatorum confessione, non frangit Sigillum confessionis.*

Hæc cum ita sint, quorsum quæso in casu peccatorum committendorum obtendunt [e] Bellarminus, & alij, Sigillum confessionis,

[o] Io. Medina. trac. de pœnit. q. 47. Vque supra.
[q] Ripa de pœste Cap. 8. n. 115.
[r] Bonavent. in sent. dist. 18 par. 1. dub. 4.
[s] Sylvest. sum. Confes. 30. quantum ad eius qual. n. 12
[t] M. Canus Relec. par. 6. de pœnit.
[a] M. quo supra.
[b] D. Soto in sent. 4. dist. 18 q. 4. art. 5.
[c] Sa Aphor. in verbo confes.
[d] M. Azpilc. cap. 8. n. 23.
[e] Respon. ad seren. Regis Iacobi præfat. monitor. & pro respon. Apolog.

fessionis? Quorsum ille cramben suam de persona confitentis celanda, toties coctam profert? Cum nec persona, nec confessio hujusmodi, ad sigillum confessionis vllo modo pertinet. Sacerdos enim non aliter hęc confessa sibi novit, ac alius quispiam, qui via vulgari res sibi enarratas recipit. Qui, si malum in Regem aut Rempublicam intentatum noverit, Divino jure tenetur, vel revelando, vel alio quovis modo, impedire. Et quomodo quæso Garnettus, alijq; pontificij, à sacrilegio liberantur, qui tales confitentes ausi sint absolvere? Quomodo ille, qui tam horrida molimina in Regem & rempublicam destinata noverit, nec revelare voluerit, ab homicidij crimine immunis esse posset? præcipue cùm ea, nec in confessione sacramentali, nec per viam (vt loquuntur) confessionis, sed [a] consultationis, sæpius audiverit, vt confessiones ejus, propria manu obsignatæ, abundè testantur.

[a] *Gremvellus mihi per viam consulendi narravit. Garnet. Antogr. Mart.* 3 *Lib. alibi.*

CAP 6.

Sigillum confessionis nec Divinitus institutum, nec antiquis cognitum, nec à pontificijs inviolatè conservatum fuit.

POntificij confessionem auricularem ad subjectionem servilem conciliandā valdè vtilem observantes, summa diligentia contenderunt, vt maximus huic honos deferretur. Hinc primùm populo persuadere conati sunt, eandem jure divino institutam esse, quò sanctiùs conservaretur. Deinde Sigillum confessionis procuderunt, vt securiùs frequentaretur. Sicut autem ipsius confessionis, ita confessionis Sigilli nullum in Scripturis sacris fundamentum reperitur.. [a] Melchior Flavius pro Sigillo sic disputat. *Confessio est de iure divino; ergo & celatio confessionis.* Ego autem ex eodem principio argumentum negativum conficerem; *Confessio non est de iure divino, ergo nec celatio.* Antecedens, Bellarmini argumenta ventilando, verum esse ostendimus. Vnde & consequens directè astruitur.

[a] *M. Flav in sent. 4. dist. 17.* [b] *D. Soto in sent. 4. dist. 18. q. 4. ar. 3. Henr. Henric. Sum de panit. lib. 2. ca. 19. n. 2.* [c] *M. de Palat. in sent. 4. dist. 20. disp. 2.*

Vnde quia pro Sigillo tam acriter contendunt, observet Lector primò, quòd [b] pontificij sigillum suum de essentia sacramenti non esse fateantur. Deinde [c] Michael de Palatio concludit,

Confessarius, violans hoc celandi ius, non evertit essentiam sacramenti.

Deinde quòd nullum testimonium ab illis è sacra pagina deducatur, vnde sigillum confessionis authoritatem Divinam vendicet. Nam loca illa, quæ pro secretis celandis afferuntur, nullas habent vires, nisi apud stolidos, qui omnia secreta celanda esse putent. [d] Dom. Soto ita rem expedivit; *Ius Divinum Sigilli si quæras vbinam extet, respondetur, ibidem prorsus, vbi occultorum confessio iubetur.* At certè illud vbi est nullubi. Idcirco ille, à sacris literis penitùs desertus, ad [e] Aristotelis castra confugit, vnde sibi suppetias administrandas sperat. *Ex necessitate finis* (inquit) *derivatur necessitas medij, & perconsequens, ex necessitate confessionis necessitas Sigilli.* Huic autem rationi Navarri argumentum examinando [f] supra respondimus. [g] Zuares frustra disputat. *Non oriri obligationem Sigilli ex iure humano positivo; quia est maior fortasse, quàm posset lege humana imponi, in periculum vitæ & boni communis.* Hoc est enim, non ex dictis Christi, sed ex factis hominum vanissimorum, argumentari. Etsi imponenda non erat, Non tamen sequitur, eandem non impositam esse. Quisq; benè novit, pontificios *gravissima onera in humeros hominum imposuisse, vt olim* Pharisæi fecerunt. Nec illud factu difficile fuit, cùm totus ferè populus, rerum divinarum rudis, ad nutum ductorum, vel potius seductorum suorum omnia facerent. Multò honestiùs egit, quàm alij pontificij, Franciscus de Mayron; qui planè fassus est. *Quòd Sigillum est de iure divino, non est facile probare, sed per Ecclesiam statutum est.* Ad hujus etiam sententiam confirmandam, animadvertat lector, Sigillum hoc antiquis incognitum prorsus, & inauditum fuisse. Suares enim Iesuita insignis, qui in hoc negotio desudauit, & patrum volumina euoluit, indagauit, nullum ejus vestigium in antiquitate invenire potuit, vt à nobis supra ostensum est. Verè igitur dixit Franciscus de Mayron, *Sigillum per Ecclesiam statutum esse.* Et sanè sicut per Ecclesiam, ita nuperis seculis, cùm caligo mundum obruisset, procusum est. Idcirco impium prorsus & irreligiosum est, commentum merè humanũ, ad summi sceleris patrocinium, & supremi juris violationem obiectare.

[d] *D. Soto quo supra.*

[e] *Arist. Physic. lib. 2.*

[f] *Cap. 2.*

[g] *Zuares in 3. part. Thom. Tom. 4 disput. 33. §. 1.*

Mat. 23. 4.

Fr. de Mayron. in sent. 4 dist. 21 q. 3. concl. 2.

Initio cap. 2.

Postremò

Postremò, exempla nobis præbent sigilli violati Hispania, Anglia, Gallia, Belgia. Imo quæ regio in terris, vbi confessio auricularis exercetur, non præbet? [a] Annales nostri referunt, Ducem quendam Buckinghamiæ novis rebus studentem, cum Hopkinso quodam Monacho per confessorem suum, nomine De la Court, egisse: Qui quidem Hopkinsus animi sui sententiam illi Confessori sub Sigillo confessionis ad ducem deferendam enarravit; & postea tamen secreta illa vterq; patefecit, quod duci capitale fuit. Thuanus miram & duram historiam narrat de quodam Hispaniarum Rege, qui, ex filij sui confessione, sacerdoti facta, & ab eodem patefacta, expiscatus est, internecionem suam ab eodem filio cogitatam esse. Eam igitur vt caueret, & euitaret, filium ehu vnicum è medio tolli curavit.

[a] *Stow Chron. anno Dom. 1521 anno Regis Hen. 8. 13°.*

Thuan. hist. l. 43

Cùm Anastrus ære alieno oppressus, fortunas suas amplificare studeret, servum suum sceleratissimum sollicitauit, vt illustrissimum Vranij principem tormentariolo interficeret; servus ille sacerdoti, cui nomen Timmerman, facinus sacramentaliter confessus est. Quam confessionem sacerdos, de eadem interrogatus, postea patefecit, & ad mortem ob celationem priorem meritò missus est. Neminem illud Petri Barierij fugiat. Cui cùm in animo fuit Henricum Galliæ Regem occidere, Iacobino cuidam fratri confessione sacramentali rem narrauit. Confessarius autem, cùm hominem à proposito divellere non potuit, coniurationem detexit. Vnde Barierius morte acerbissima ob propositum iniquissimum affectus est. *Nec igitur* (ait [*] Serres) *sacerdas censuras ecclesiasticas omnino subiuit.* Plures vbiq; historias non dissimiles habemus. Nullum tamen sacerdotem inveniri arbitror qui ob talium criminum patefactionem pœnas vnquam luit. [a] Dominicus Soto exemplum, in contrarium, narrat, de Cardinale, *qui audiens sacramentaliter conspirationem, quam Cardinalis alter in Pontificem moliebatur, quòd rem non protenus detegisset pecunia mulctatus fuit; &, nisi ignorantiam sibi obtendisset, acriùs fuisset punitus.* Cùm Iesuitæ in Gallia tentoria sua posuissent, [a] librum composuerunt, quo, eorum, quæ in confessionibus clancularijs didicissent, memoriale adscripserunt. An hoc Iesuitarum stratagema cum Sigillo bene conueniat, videant pontificij. [b] Nihil deniq; apud Iesuitas vsitatius quam confessionum

Thuan. hist. l. 75.

[*] *Le regicide.*

Serres Invent. general de l' hist. vol. deux.

[*] *Prestre vrays censuras ecclesiastiques encourt point de censure ecclesiast. q. Serr. pag. 1009.*

[a] *Dom. Soto in sent. 4. dist. 18. q. 4 art. 5.*

[a] *Arnold. in Curia Paris. consiliar. Anno 1594.*

[b] *Wilson quæst. libet. 3. art. 10.*

patefactio,

Relat. vera facti-cies Widrich. pag. 28. & 78. Prof. trall. Eng. A sparing discovery of Engl. Iesuites Rel. M.S. A.C. in script. To his def. Iesuited Inquest. pag. 22.

patefactio, vt ipsi sacerdotes seculares scribunt. à quibus igitur *Confessionum proditores appellantur*. Et à varijs pontificijs, vt irreligiosi eiusdem *sacramenti violatores, & Sigilli Confessionis Indificatores*, damnantur. Vulgo igitur credulo imponunt pontificij, cùm de lingua sacerdotis, qui confessionem detegit, excidenda garriant; frustra de eodem in arcto Monasterio retrudendo scribunt.

FINIS.

Errata.

Pag. 13. l. 12. *nemodi* lege *nullibi*. Pag. 28. l. 4. *metaphoram* lege *metaphoricam*. pag. 29. l. 28. *ambiguitate* lege *ambiguitatē*. pag. 38. l. 31. *in conversione* lege *in conversatione*. pag. 87. l. 30. post *historiam illam*, dele *falsam esse*.